

B. N. II, 135.  
In 35, II.

D. T. O. M. A.

II R  
1544

MONIMENTUM CÆSAREUM

*sive*

DISSERTATIO JURIS PUBLICI

DE

IMPERATORIS

Romano-Germanici

RESERVATIS

&

REGALIBUS,

cum Appendice,

*qui continet*

Historiam Juris Publici,

*Autore*

DANIELE Keyser / J. U. D.



X 1876039

Jenæ, Sumptibus Bauhoferianis,

ANNO SAL. REC. M. DC. LXXI.



SERENISSIMO, POTENTISSIMO, AC INVICTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO,  
DOMINO

LEOPOLDO I.

Electo Romanorum

IMPERATORI,

Semper Augusto,

Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Slavoniæ, &c.

REGI,

Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Brabantia, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchioni Moravia, Duci Luxemburgiæ, Superioris ac Inferioris Silesiæ, Würtembergæ, & Teckæ, Principi Sueviæ, Comiti Haspurgi, Tyrolis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravio Alfatia, Marchioni Sacri Romani Imperii, Burgoviæ ac Superioris & Inferioris Lusatia, Domino Marchiæ Sclavonica, Portus Naonis & Salinarum &c. &

Domino suo clementissimo

*Hoc monumentum Casareum*

*humilimè consecrat*

*Subjectissimus*

Daniel Keyser / D.



LN-  
PRÆFATIO.

na-  
ra-  
ora.  
Sile-  
miti  
avio  
e ac  
iæ

**B**Odinus, à Jacobo Cujacio Andinus sine bono per anagrammatismum vocatus, qui læpè fide dignis Scriptoribus impudenter contradixit, teste D. Besold. *hist. univ. c. 18. f. 378.* meritò ob varios errores à D. Arum. *de jur. publ. vol. 1. disc. fin. Et vol. 2. disc. 10. th. 19. lit. e. disc. 23. in præfat. f. 658.* Et quod stylò magis satyricò, quàm rationibus apodicticè concludentibus dissentire soleat juxta D. Richt. *Vel. Acad. 28. th. 20. lit. d. f. 522.* repræhenditur, inprimis, quia rigerosus Imperatoriæ Majestatis censor fuit, uti eum appellat D. Hœnon. *disp. pol. 10. §. 30. f. 499. pr.* nec erubuit, Germanorum Rempublicam Aristocratiam esse, audacter asserere. *l. 2. de Republ. c. 6. f. 346. 349. 350. Et seqq. Item in method. hist. c. 6.* quasi in manu

manu haberet omnium rerum politicarum facultatem, ut Paurmeist. *de jurisd. imp. Rom. l. 2. c. 2. n. 34. inquit.* cui tamen ignorantia germani Imperii mater fuisse videtur juxta Rudolph. Maximil. *ap. Frider. Achill. in Orat. contr. Gall.* faniores enim Scriptores Juris Publici contrarium statuunt, veluti inter alios statum Imperii nostri Romano-Germanici Monarchicum esse masculè defendunt, atq; Imperatoris Romani amplitudinem, dignitatem, & præeminentiam præ aliis Regibus ac Principibus dilucidè demonstrant D. Reinkingk. *de Reg. sec. & Eccles. l. 1. class. 2. c. 2. f. 47. & seqq. class. 3. c. 14. n. 22 & seqq. f. 309. D. Arum. d. l. vol. 1. disc. 1. vol. 2. disc. 13. vol. 3. disc. 14. §. 119. & seqq. f. 441. & c. disc. fin. f. 1056. & seq.* Licet igitur Castaldus *in tract. de Imperat. q. 110.* recenseat 330. prærogativas & præeminentias, hac tamen vice præcipuas saltem attingam; quod ut felici fiat successu, prius Numen Divinum invoco, ut sit hujus laboris principium, medium, & finis. *N. 109. pr.*

I. N. 7.



**R**egalia majora (minora enim esse putantur, quæ ab Imperatore Friderico primo, cognomento Enobarbi sive Barbarossæ referuntur *in 2. F. 56. D. Arum. d. l. vol. 1. disc. 31. th. 8. pr. D. Ort. Folm. disp. feud. 3. th. 8. pr.* excipiuntur tamen quædam, & majoribus quoque annumerantur. D. Ant. Gothofred. *disp. feud. 3. th. 7. lit. d.*) ab Antiquis jura Majestatis, jura summi Imperii, sacra Regni, & sacra sacrorum, Reservata Cæsarea, vocari, constat ex Clapm. *de arcan. rer. l. 1. c. 10. Sixtin. de Regal. l. 1. c. 2. n. 3. Et 4. germanicè, Keyserliche sonderbahre Hoheiten / Macht / Vollkommenheit / und reservaten / juxta Aur. Bull. tit. 3. Recept. Imp. de An. 1529. sub tit. Keyserl. Constit. Et c. de An. 1530. §. nach dem auch Et c. de An. 1576. §. dadurch dann. Et c. Cacheran. decis. 29. n. 5. Rol. à Vall. cons. 42. n. 32. dicitur etiam potestatis plenitudo sive summa potestas, quod magnitudine sua omnes reliquas potestates complectatur & superet, tum quod suo splendore omnes illas obfuscet. Bornit. *de fund. Reip. stat. c. 1. f. 2. jus Regni sive majoris status. Alhus. c. 9. polit. n. 13. Sunt autem quædam Regalia quoad usum & exercitium communicata statibus imperii, Kirchner. de Republ. disp. 2. th. 4. lit. a. non**

tamen privativè, sed cumulativè, ita ut Imperator non minus eadem exercere in loco illo possit, quàm is, cui ea tribuit. Bocer. *de Regal. c. 4. n. 5.* Thom. Mich. *de jurisd. concl. 24.* quædam tamen quoad usum & proprietatem Imperator propria sibi reservavit. D. Oth. *de jur. publ. c. 7. f. 145. c. 10. f. 214. c. 11. f. 218. § 224.* D. Schönborn. *l. 5. pol. c. 10. f. 507.* quæ auctoritatem, præeminentiam, & potestatem demonstrant. Arnis. *l. 2. de jur. Majest. c. 1. n. 8.* Definiri igitur possunt Regalia, quod sint jura ei, qui superiorem non recognoscit in signum supremæ eminentiæ & salutem Reipublicæ competentia. D. Vultej. *l. 1. de Feud. c. 5. n. 7.* Vel, quod sint jura Imperatori, cuive Imperator ea expressè vel tacitè habenda dedit, in signum præeminentiæ, ad Imperii dignitatem & utilitatem ejus conservandam competentia. D. Ant. Gothofr. *diff. Feud. 3. th. 6. litb.* eorum potissimum sequentia enumerantur.

## I. MONARCHICA POTESTAS ATQUE MAJESTAS.

**I**mperator Romanus, qui olim Dux belli erat. §. 3. *J. de jur. nat. l. 4. ff. de stat. hom. l. 239. §. 1. ff. de V. S.* hinc Publius Scipio apud Salust. *in bello Jugurth.* hoc nomine designatur, & Marcus Cicero, veluti *ex epist. 10. fam. l. 2. § 9. subseq. epist. inscript.* patet, postea summus Princeps ac Imperii Romani Monarcha atque Imperator dictus fuit, teste Sueton. *in Calig. P. Heig. p. 1. q. 2. n. 15.* Ideoque hodie, qui summa potitur in Imperio  
Roma-

Romano, eique tanquam Monarcha præstituitur, indistinctè tam Imperator à primo Julio juxta Forsterum *l. i. hist. Rom. c. 28. n. 52. Et seq.* quàm Cæsar appellatur, quod nomen olim designato successorì Impp. qui nobis est Rex Romanorum, Gallis Delphinus sive Douphin, Hispanis Infans, Anglis Normanniæ Dux, Græcis Despota, tribuebatur. Douth. *de testam. n. 255. Wesemb. in proem. f. n. 2.* Augusti nomine ipsi additò ob majorem reverentiam, veluti pluribus ex Denaisio *in jur. Cam. §. Cæsaris in Imp. eminent.* illustrat D. Christoph. Besold. *disp. pol. 8. de stat. Reip. mixt. class. 1. th. 5. n. 2. Et in tr. de appell. c. 2. n. 21.* nec desunt celeberrimi Jurisconsulti, qui adhuc hodie Imperatorem mundi dominum *ex l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* appellari posse contendunt, & quidem synechdochicè pro parte majori, siquidem nec Augustus Imperator, cujus imperium tamen omnium latissimum fuit, totum orbem terrarum tenuit, non Africam, non Sardiniam adiit, ut Sueton. *in ejus vit.* testatur; ideoque adhuc dici potest dominus mundi, sive orbis Romani, i. e. degentium in Imperio Romano, imò de jure est, & ratione protectionis, atque universalis jurisdictionis. Vid. D. Mund. *vol. 2. cons. 13. n. 125.* D. Contr. Rittersh. *ad N. p. 5. c. II. n. 4.* D. Ant. Gothofr. *disp. feud. 2. th. 4. lit. b.* D. Arum. *d. l. vol. 2. disc. 29. th. 6. f. 854. disc. 34. f. 1062. pr.* D. Hahn. *ad Wesemb. ff. de acq. rer. dom. n. 3. f. 482.* Magnif. Dn. D. Richt. *vol. 2. cons. 2. n. 36. f. 23.* Si igitur ille Majestatem habet, qui justò & legitimò modo Imperium aliquod acquisivit, in eo-  
que

que præcipuâ & supremâ potestate utitur, habebit quoque illam Imperator Romano-Germanicus: Et si Monarchia est unius prædominans Imperium, uti est, sanè Monarcha quoque erit Imperator Romanus. Diet. *in concl. de summa summi Imp. potest. concl. 74.* potestas enim suprema est forma & substantialis essentia Majestatis. Carol. Molin. *in consuet. Paris. t. 1. §. 2. gl. 4. n. 16.* Covarruv. *pract. quest. c. 4.* insuper extra omnem controversiæ telam positum est, universam Germanorum Rempublicam compositam esse ex capite & membris. Thuan. *l. 2. pr. hist.* Ant. Coler. *de jur. Imp. Germ. th. 1.* Bertr. *de Comit. th. 16.* quorum illud Imperator *per Aur. Bull. tit. 2. Recept. Imp. de An. 1530. §. Dergleichen wir* *Et c. de An. 1545. §. also* *Et c.* Vid. Tiber. Decian. *resp. 19. n. 128. vol. 7. D. Otth. de jur. publ. c. 7. f. 109.* hæc status Imperii repræsentant. *Recept. Imp. de An. 1541. pr. de An. 1546. §. Dieweil aber.* *circ. fin. de An. 1527. §. und für-* *der.* *de An. 1530. §. weiter.* *de An. 1542. §. und wie-* *wohl.* *de An. 1567. §. Damit auch.* Sicut ergo caput cæteris corporis humani partibus dignius est. *l. 44. ff de Relig.* ita & Imperatorem omnium totius orbis Regum Christiani digniorem censerî, atque majestatis participem esse tanquam Caput als das Oberhaupt im Römischen Reich und in der ganzen Christenheit colligitur, juxta D. Arum. *ad Aur. Bull. disc. 2. th. 12. Et de jur. publ. vol. 1. disc. 33. th. 10. f. 342.* Verè nominatur caput seculare totius Christianitatis, quò titulò sacratissimò etiam insignitur ab Electore Moguntino, veluti constat

ex



ex formula juramenti secundum dispositionem Aureæ Bullæ ab initio Electionis præstandi. Goldast. *part. 1. Polit. Reichshandl. t. 3. c. 2. A. B. §. 2.* Pontifex etiam Innocentius 4. Fridericum Imperatorem præcipuum Principem secularem appellavit. *c. 2. x. de sent. Et re jud. in 6.* sanè Majestas propriè & strictè loquendo soli Imperatori Romano competit. *Specul. tit. de appellat. §. videndum. Et c. pr. l. 2. Sigism. Scacc. de Appellat. q. 16. limit. 1. n. 2.* inde quoque fit, quod in imperii conventibus nulli Regi Majestatis, sed saltem Regiæ dignitatis titulus attribuitur. *Recess. Imp. de An. 1526. §. und seind. de An. 1527. §. und als. de An. 1567. §. ferner. de An. 1566. §. und diessell. imò Imperator Regi Romanorum tribuit saltem titulum, Seiner Liebden. per Recess. Imp. de An. 1544. §. und diessell aber wir. Rex Romanorum verò Imperatori adscribit Majestatem, per Rec. Imp. de An. 1542. §. damit auch solcher Ordnung. it. §. würde sich aber. de An. 1545. §. wie dann auch. atque Imperatorem Dominum suum appellat. Recess. Imp. de An. 1555. in fin. §. solches alles .&c. Ad eminentiam Imperatoris etiam facit, quod Rex Bohemiæ sæpius sub corona Regali processerit in Curia solenni, & tali modò officium Archipincernæ expleverit. D. B. Carpz. *in semic. quest. ill. disp. feud. fin. q. 2. n. 19. Et 20.* Huc spectat Imperatoris Maximiliani 1. & Caroli 5. effatum; nam Maximilianus Imperator dicere solitus, Regem Hispaniæ hominum Regem, Galliæ asinorum, Britannia diabolorum, se verò Regem Regum esse. Similiter Carolus 5. Imperator dicebat*

B

cebat

cebat, se in aliis suis regnis & ditionibus mancipiis at-  
 que servis, in Germania verò Regibus imperare. D. A-  
 rum. *de j. p. vol. 3. disc. 15. th. 103. f. 639. in fin. Et f. 640. pr.*  
 D. Otth. *de j. p. c. 6. f. 86.* Quisnam igitur impiò ausu Im-  
 peratori Romano-Germanico Majestatem denegare  
 præsumeret, de cujus potestate saltem dubitare sacri-  
 legii crimen putatur. *l. 3. C. de crim. sacril. Restaur. in*  
*tr. de Imp. q. 110. n. 2. 99. Vasq. illustr. quest. c. 25. n. 4.* quem  
 potius summum in toto orbe Christiano Principem,  
 Heroem, & Monarcham subjectissimâ devotione re-  
 veremur, & veneramur, qui immediatè soli DEO ac-  
 ceptam refert potestatem, prout dilucidè explicat D.  
 B. Carpz. *disp. feud. 9. semic. quest. 4.* cujus præeminen-  
 tia vel ex nota peculiari conspicua, quâ Majestas Im-  
 peratoris sacra live sacro-sancta salutatur, ad differen-  
 tiam nempe ejus, quæ Regibus tribui cœpit. Briffon.  
*de verb. quæ ad jus pertin. signif. l. 2. verb. sacr. Christ.*  
*Besold. in dissert. de Majest. sect. 1. c. 1. n. 2.* Goldast. *l. 3. de*  
*Reg. Bohem. c. 13. n. 6.* Sixtin. *de Regal. l. 1. c. 1. n. 31.* Est de  
 jure Dominus Orientis, Occidentis, Meridiei, & Sep-  
 tentrionis. Bald. *cons. 359. l. 3.* est Christianissimus. Chas-  
 san. *in catal. gl. mund. part. 5. cons. 27.* unde vocatur Au-  
 gustissimum Senatus caput, & totius orbis Christiani.  
 Buxtorf. *ad A. B. c. 2. concl. 29.* atque inter omnes Reges  
 eminent tanquam stella matutina, ut Interpretes Juris  
 publici loqui solent, cujus eminentiam ipse quoque  
 Turcarum Princeps agnoscit. Reinh-König *in disp. pol.*  
*de stat. Imp. Rom.* dum ei, Magno ac potenti Christia-  
 no-

norum Domino, uni electo Romanorum Imperatori  
 scribit, uti patet ex literis Solymanni Imperatoris Tur-  
 cici ad Imperatorem Ferdinandum, quæ extant apud  
 Nicol. Reusn. *l. 1. epist. Turc. 10.* qualia verba quoque D.  
 Arum. *d. l. vol. 3. disc. fin. f. 1058.* adducit. Soli etiam Im-  
 peratoris Romani legati sedendo, quod in mandatis  
 habent, expediunt, aliorum autem Regum ac Princi-  
 pum legati stando mandata sua coram Turca expo-  
 nere solent, licet Bodinus *l. 1. de Republ. c. 9.* contra o-  
 mnem historicorum fidem tradat, Turcam Gallorum  
 Reges ipsi etiam Imperatori Romano anteferre. Non  
 silentio hic prætereundum est, quod tempore Caroli 5:  
 Imperatoris laudatissimi contigit, cum enim ejusdem  
 legatus ad exponenda mandata coram Turcico Sulta-  
 no accitus aliquandiu stetit, neque confidere jussus  
 fuisset, pallio quod habebat insedit, & mandata Impe-  
 ratoris intrepidè exposuit, mox consurgens pallium,  
 quod substraverat reliquit, interrogatus à Turcis, cur  
 id faceret, Cæsaris legatum sellam sibi portare non so-  
 lere, falsè respondit. D. Arum. *ad A. B. disc. 4. & de j.*  
*p. vol. 3. disc. 23. n. 207. f. 949.* Laude igitur dignissimum  
 manet Alphonsi Arragoniæ & Neapoleos Regis judi-  
 cium, qui Fridericum 2. Imperatorem, cum aliquando  
 Neapolim venisset, nullò non honoris cultu profecutus  
 est, & cum ab Anglicis eò nomine repræhenderetur,  
 tale illis Responsum dedit: vestrum non est de Regi-  
 bus judicare, nos Reges omnes debemus reverentiam  
 Imperatori tanquam summo Regi, Ille est caput &

B a

Dux

Dux Regum. Huc etiam pertinet, quod Philippus Hassiæ Landgravius cuidam in familiari colloquio dicenti, Carolum 5. Imperatorem nihil commodi ex dignitate Imperatoria sentire, sed gravibus tantum molestiis fatigari, respondit: præter cætera commoda, & hoc inde Carolum consecutum esse, ut omnibus aliis Regibus & Principibus ratione dignitatis Imperatoriæ præferatur. D. Arum. *de j. p. vol. 2. disc. 7. n. 4. th. 119. f. 157*  
 Quidni ergò Imperator Romano-Germanicus dici possit Monarcha & caput Imperii? P. Heig. *1. q. 2. n. 21. Et seq.*  
 Andr. Knich. *de Saxon. non provoc. in verb. Duc. Sax. n. 1. usq. 39.* imò cur non appellandus sit Dominus totius mundi & Christianitatis? nam in hunc finem in Coronatione Imperatoris inter alia insignia, veluti Imperiale diadema, gladius, sceptrum, *juxta Aur. Bull. t. 22.* pomum quoque aureum sive globus præfertur, quò denotatur universale ejus Imperium, quale quidem de facto non habet, sed temporibus præteritis, & præsertim inventi hujus Justiniani obtinuit, illi enim initium pomi sive globi hujus Imperialis tribuitur, dum in palatio Constantinopolitano erecta fuerit ipsius statua, quæ sphæram gestabat cum cruce infixâ, ut significaretur auspiciis divinis. Vid. P. de Andl. *l. 2. c. 8. de Imp. Rom.* Aquila quoque biceps denotat Imperium Orientale & Occidentale. D. Otth. *de j. p. c. 4. f. 55.* Occidit quidem & dissipatum est Regimen illud, quod ad Orientem & Occidentem Solem extensum erat, quicquid Imperator Romanus in Asia tenuit, totum est amissum:  
 maxi-

maxima Europæ pars Imperio Romano quondam  
 conglutinata, aliis jam paret Dominis, loquitur id Gal-  
 lia atque Italia, testatur Hispania, Anglia, Scotia, Unga-  
 ria, Polonia, Suecia, Dania, amissa est Borussia, atque Li-  
 vonia, quæ fuerunt utiles provinciæ Imperii, & quasi  
 murus aheneus adversus gentes Septentrionales, Tar-  
 taricos, vastas solitudines Orientis incolentes. Vid.  
 Schneidevv. *de feud. p. 3. n. 61.* Eisenkeck. *diff. feud. 2. th.*  
*1. lit. d.* licet autem prædictorum Regnorum avulsione  
 Imperium Romanum in magnam tenuitatem reda-  
 ctum sit, ut P. Costaldus Juris Consultus *ad l. 32. ff. de*  
*leg. scribere non vereatur, se nescire, an sit, & ubinam*  
*sit Romanum Imperium, inprimis, dum Imperatores*  
*ne sedem quidem ipsam Cæsarum avitam, & priscum*  
*domicilium urbem Romanam possideant, sed Pontifi-*  
*ces excussio Imperii jugo in Italia rerum potiti sunt,*  
*quorum terror nominis postmodum ipsos Germanos*  
*invasit, & eò ipsò, teste Lampad. de Rep. Rom. Germ.*  
*dimidia Imperatoris vis collapsa est: attamen durabit*  
*atque perdurabit Imperium Romano-Germanicum ad*  
*mundi finem, exemplòq; servitutis non includitur aut*  
*circumscribitur locò, sed ut illa in fundo quæsitæ per*  
*partes ejusdem indivisa retinetur. l. 8. ff. de servitut. to-*  
*taque manet in parte indivisa. l. fin. ff. de jur. dot. sic Im-*  
*perium universum pervagatur orbem, manetque illud,*  
*ubicunque Imperator est. P. Heig. l. 1. q. 2. n. 31. & licet*  
*pars magna Imperii ab aliis occupata sit, non ideò ta-*  
*men extinctum dici potest, sed in parte ea, quæ restat,*

totum Imperium est. Mart. Neapol. p. 1. c. 21. n. 27. *de jurisdictione*. & relatione habitâ ad divinitus constitutam, & stabilitam Monarchiam Romanam inde à Julio Cæsare, vel potius Octaviano Augusto, ejusque successoribus usque ad nostrum ævum Monarchicum censendum, nominandum, & agnoscendum, dignitasque ejus semel quæsita non labascit, & extinguitur, sed fulget adhuc, imò fulgebit sempiternis cum Sole & Luna radiis amplitudinis ejus splendor, & Majestas, quam nec edax ætas, vel injusta calumniantium absument iniquitas. Marfil. Patavin. *de transl. Imp.* c. 1. Rudolph. de column. *in tr. ejusd. arg. pr.* Quidni ergò Imperatoria Majestas omnes Reges atque Principes dignitate, auctoritate & insigniis Imperialem gloriam decorantibus, longo post se intervallo relinquat? P. de Andl. l. 2. *de Imp. Rom.* c. 8. præcellit dignitate, eâ enim nulla post hominum memoriam in ullo regno extitit major, quod etiam vult epithethon *Allerdurchläuchtigster* &c. præpollet auctoritate: etsi enim status noster hodiernus purè Monarchicus non sit, sed quoad administrationem Aristocratia quadantenus temperatus, præponderat tamen Monarchia, & Majestas Imperatoris, ita ut Monarchæ titulus Ipsi meritò attribui possit. D. Reinkingk. *de Reg. sec. & Eccles.* l. 1. class. 2. c. 2. f. 82. & 90. D. Arum. *de j. p.* vol. 2. disc. 22. vol. 3. disc. 20. probl. 1. f. 855. disc. 27. f. 1028. *in fin.* Vid. tractationem meam *Juridico-Polit.* c. 14. f. 117. imperium enim nostrum tanquam summus & primus regit ac dirigit. Besold. *disp. pol.* 1. class. 1. th. 38. inde

inde promanant Regalis splendor, Ducalis Autoritas, Comitiva dignitas, Nobiliumque omnium jura inde suam originem trahunt. Reinh. König. *disp. pol. 6. th. 5.* quamvis enim modus administrationis accidentalis in Romano Imperio utilitatis publicæ causâ aliquando immutatus sit, non tamen inde sequitur, ipsum statum & fundamentum substantiale regiminis immutatum esse, cum accidentia non mutant rei substantiam, nec Imperii administratio statum immutet, differt enim status & ejus gubernatio, & circa qualitates, non verò substantiam fit immutatio, nec desinit esse monarchia. Angel. *in l. 76. ff. de jud.* cum summæ Majestatis jus cum inferioribus non possit communicari. *Rec. Imp. rubr. reform. Kers. Fridr. des Dritten zu Franckfurt am Meyn. 1642.* non ergo immeritò Imperator summus dicendus Monarcha, Romanique Imperii caput, & obinde Imperii nostri Romano - Germanici statum Monarchicum, & ultimam à Prophetis prædictam, & ad finem usque perduraturam Monarchiam esse, concluditur contra Bodin. *in meth. hist. c. 6. & de Rep. l. 2. c. 6. n. 223. & seqq.* De Majestatis juribus in genere latè agit D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 30. f. 275. vol. 2. disc. 17. f. 547. ut & de crimine læsæ Majestatis. vol. 4. disc. 40.* Non infringit Majestatem, quod olim quidem, sed non hodie, Imperator triplici Coronâ insigniebatur. (1.) ferreâ, (quâ tamen Buxdorff. *ad A. B. conclus. 46.* auream fuisse existimat) ab Archiepiscopo Coloniensi. (2.) argenteâ, Mediolani ab Archiepiscopo Mediolanensi. (3.) aureâ, Ro-

Romæ à Pontifice Romano. D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 18. n. 39. vol. 2. disc. 16. f. 541. vol. 3. disc. 7. §. 31. f. 258.* siquidem coronatio in se considerata non pertinet ad essentiam Imperii. It. *vol. 3. disc. 28. f. 1038.* D. Otth. *de j. p. c. 10. f. 205.* Unde Imperator Fridericus à Ruffa Barba, Ænobarbus, & Barbarossa cognominatus, Sveviæ Dux, inter quem & Pontificem Adrianum graves inimicitiae exortæ, in literis [circularibus ad omnes Principes & Episcopos scriptis hanc expressam declarationem dedit, se per Electionem Principum à solo Deo Regnum & Imperium tenere, & quicumque assereret, ipsum Coronam Imperialem pro beneficio à Papa suscepisse, mendacii reum esse, uti ipse Pontificius Scriptor D. Besold. *hist. univ. c. 18. f. 431.* refert. De Imperatore Friderico 2. Vid. *f. 454. & seqq.* Hinc quoque Rudolphus primus Imperator, Principibus ad Italicum iter adhortantibus, respondit: Multos Alemannorum Reges Italia consumpsit, non ibo Romam, Rex sum, Imperator sum; nec minus pro utilitate Reipublicæ acturum me confido, quam si Romæ fuisset coronatus, teste Georg. Kölderer von Höch. *ap. Frid. Achill. in Orat. contr. Ital. f. 618.* Annon Maximilianus 1. Ferdinandus 1. Maximilianus 2. Matthias, Ferdinandus 2. & 3. (*gloriosissima memoria*) à Pontifice Romano coronati non fuerunt, & tamen omnes & singuli pro legitimis Imperatoribus à toto mundo culti, & adhuc habentur? Ant. Coler. *de jur. Imp. sect. 6. & 7. Sixtin. de Regal. l. 1. c. 4. n. 14.* Carolum etiam Magnum ejusque

Suc-



Succeffores non nili juramentum protectionis præstiffisse demonstrat D. Strauch. *dissert. 4. de Illustr. Controvers. circ. elect. Car. 5. th. 12. f. 102. & seqq.* Neque dimittit Majestatem, quod Imperator Turcico Sultano pensionem pendere soleat: tributum quidem superioritatis cognitionem inducit, sed non pensio, quæ fit pacis saltem fruendæ gratiâ, non in servitutis auctoramentum. D. Otth. *de jur. publ. c. 7. f. 107. in fin.* quin ipse Turca ex pactione veteri Regi Æthiopum pensionem præstat. D. Schönb. *l. 5. pol. c. 10. f. 510.* neque est, quod Bodinus *l. 2. de Republ. c. 6.* imperitus rerum Germanicarum æstimator, uti eum vocat Paurmeisterus, gloriatur, Imperatorem nostrum non esse Monarcham, quia alterius judicio fit subjectus: licet enim in causis civilibus & pecuniariis, quando à Statibus Imperii convenitur *juxta Auream Bullam tit. 5.* coram Electore Palatino respondere teneatur, (Vid. D. Strauch. *dissert. 3. de trium. Secul. Elect. contr. circ. El. Imp. th. 5. & seqq. f. 74. & c.*) non tamen hoc fit ordinariè, & ex necessitate, sed extraordinariè & voluntate liberali. D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 8. n. 87. f. 274.* Et quidem quando ut Dux vel Comes consideratur ad Austregarum judicium vocandus est. D. Vult. *ad l. 1. n. 9. C. ubi Senat.* Unde Imperatores in Camera Imperiali respondisse refert Schvvanman. *Obs. Cam. 20. & decis. 2. n. 32.* hoc tamen minimè Majestatem Imperatoriam deprimit, majorem enim se minoris jurisdictioni, salvâ Majestate, submittere posse, ipse Bodinus sibimet ipsi contrarius *l. 3. c. 6.*

□

de

*de Republ.* fatetur: Ita enim Rex Galliae coram Parlamento Parisiensi conveniri potest. Hottom. *in Francog. c. 15.* & si adversus privatos in privatis judiciis restitui velit, procurator Regius sedem ac locum mutat, ne publicam sed privatam causam agere videatur. Ita Rex Hispaniae in conventibus triennialibus jus dicit, sibi que vicissim jus dici patitur. Stephan. Jun. Brut. *adv. tyrann. in repet. ad q. 6.* Rex Bohemiae ratione Silesiae coram judicio superiori Uratislaviensi stare cogitur. Schrad. *de feud. p. 10. sect. 1. n. 13.* In Anglia de litibus inter Regem & subditos exortis Justitia, uti appellatur, Magna cognoscit. Bodin. *d. l. c. 8.* Pari modo Electores Saxoniae coram suprema Electorali Lipsiensi curia, de bonis & redditibus aëarii sive Camerae conveniri possunt. Præterea non diminuit Majestatem, quod Imperator consilium Electorum adhibeat in rebus gravissimis & Imperium Romanum concernentibus, siquidem Galliae Rex Carolus 5. inde sapiens appellatus fuit, quod in Sapientum consilio acquieverit. Ita Hispaniarum Rex, etsi potentissimus sit, & maximæ autoritatis apud suos, attamen non nisi Ordinum consensu imperat. Barlador *l. 1. rer. quot. c. 3. n. 13.* Scotiae quoque Regibus nihil, quod totius regni statum attinet, inconsultis Ordinibus permittitur. Jun. Brut. *de repet. 6. q. n. 7. de jur. Maj. in subdit.* Ut igitur in domestica vita paterfamilias, quatenus toti imperat familiae, Regiam sustinet repræsentatque dignitatem & autoritatem, quatenus verò cum uxore sua de re familiari consultat,

tat,

tat, deliberat & disponit, cum statu Optimatum eate-  
 nus convenit, fratrum verò æqualitas in omni re &  
 cura familiari statum repræsentat popularem; eò ipsò  
 tamen paterfamilias quod præscribat leges suæ fami-  
 liæ, ex uxoris accedente consilio, eamque gubernatio-  
 nis domesticæ consortem & participem faciat, & cum  
 filiis in commune bonum operetur, se suâ autoritate  
 patrifamilias debita minimè exuit & spoliat: simili ra-  
 tione Imperator Romanus quamvis communicatò E-  
 lectorum Procerumque Imperii consensu omnia agat,  
 non tamen propterea supremâ potestate se exuit aut  
 Majestatem suam aliis communicat. *D. Arum. de j. p.*  
*vol. 3. disc. 14. §. 148. f. 453.* neque ullius Monarchæ Ma-  
 jestatem diminuit aut extenuat, quod Ecclesiæ prote-  
 ctionem juret, qui ejus nutritorem & custodem sese  
 dicitat. *Coras. 2. misc. c. ult. Vasq. contro. 26. n. 15.* ne-  
 que ullum est imperium legitimum, quin certis regu-  
 lis, legumque terminis sit conclusum, nullusque repe-  
 ritur Princeps aut Rex, cujus potestas certis capitulati-  
 onibus non sit circumscripta & restricta. *Warem. ab*  
*Erenb. de Regn. subsid. c. 11.* Porro Imperatoris præemi-  
 nentiam non diminuit commune axioma; Imperii Sta-  
 tus tantum in territoriis suis posse, quantum Impera-  
 tor in Imperio. Hoc enim, inprimis si sine grano salis  
 accipiatur, tanquam erroneum & falsum meritò ab a-  
 liis rejicitur, cum certum sit, multa Imperatori in si-  
 gnum supremæ potestatis reservata esse, quæ aliis sal-  
 vâ Imperii Majestate competere nequeunt. *D. Ludvv.*

*in syn. feud. c. 5. f. 134. D. Riche. vel. Acad. 22. th. 19. f. 400.*  
 Denique non obstat, quod Imperator bona Imperii non alienare possit: quia *hoc ei proprium est, ut augeat, non ut minuat, unde semper Augustus allezeit meherer des Reichs* appellatur, licet Augustum non ab augendo Romanis dictum asferat *Coras. 3. misc. 22. n. 6. & 7. Niell. disp. feud. 2. th. 6. lit. g. in fin.* quin & in ipsa Gallia inter leges Status hoc connumeratur, ut Rex sine statuum consensu, imò etiam sine Curia Parisiensis approbatione de Regno nihil alienare possit, secus si fiat, illius major quàm hujus habetur ratio. Richard. Dieder. *d. l. concl. 78.* Vid. Auct. *der Politischen Schatzkammer. l. 2. disc. 12.* salva igitur manet Imperatoris Romano-Germanici Monarchica potestas atque Majestas.

## II. COMITIORUM INDICTIO.

**R**ationes Comitiorum habendorum exponit Althufius *c. 17. pol. n. 60.* eorum enim celebratio non negligenda est. Hotom. *in tr. de antiq. jur. Reg. Gall. c. 14. 19. & seqq.* in statu tamen Monarchico rariora comitia esse debere, monet Barth. Keckerm. *l. 1. syst. pol. c. 7. f. 155.* illorum autem est Comitia congregare, quorum autoritati omnes Christiani parere debent, & ad quos spectat ea, quæ ad Ecclesie & politie pacem & tranquillitatem faciunt, procurare. At hoc Magistratus summi munus & officium esse, nemo inficias ibit: Imperator igitur jus universalium Comitiorum indicendorum habet, jus proponendi ea, de quibus in Comitiis

tiis

tiis est tractandum, jus rogandi sententias, jus promulgandi ea, quæ in Comitibus sunt constituta, jusque finem imponendi Comitibus. Arnis. *de jur. Maj. c. 4. n. 17. c. 6. n. 13.* D. Schönb. *l. 4. pol. c. 33.* Paurmeist. *de jurisd. Rom. Imp. l. 2. c. 2. n. 28.* Althuf. *c. 33. polit.* quamvis hodie accedat consensus Electorum, id quod ipse Imperator non occultat in literis, quibus ad Comitibus vocantur Ordines Imperii, vulgò in *dem Ausschreiben zum Reichstag.* Matth. Stephan. *l. 2. de jurisd. p. 1. c. 1. membr. 2. n. 11. Et seqq.* Regner. Sixtin. *de Regal. l. 1. c. 4. n. 29.* potestas tamen decidendi tribuitur summo Principi, nec ulli alii in Monarchia competere potest. D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 9. disc. 30. th. 21. f. 289. disc. fin. f. 1053.*

### III. LEGUM UNIVERSALIUM SANCTIO.

**D**At Leges vel generales. Lancellat. *in templ. om. jud. l. 1. c. 1. §. 4.* Menoch. *cons. 604. n. 2. Et seqq.* Anton. Coler. *de jur. Imp. germ. sect. 18.* D. Schönb. *l. 5. pol. c. 11. f. 510.* D. Ant. Gothofr. *disp. feud. 3. th. 6.* D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 14. Et seqq. f. 286. Et c. th. 20. f. 289. vol. 2 disc. 17. th. 31. f. 556. vol. 3. disc. 13. §. 35. f. 403. disc. fin. f. 1050.* licet consilium Procerum accedat. D. Otth. *d. l. c. 11. f. 231.* hoc enim Majestatem non infringere, in primo membro demonstratum fuit. vel speciales, quæ verò propriè privilegia dicuntur. Jac. Bornit. *c. 16. de fund. Reip. stat.* proinde potestatis Imperatoris est, jubere, mandare, prohibere. *Recess. Imp. de An. 1548. §. fer*

ner. D. Hordl. tom. 1. l. 1. c. 12. l. 5. c. 19. tom. 2. l. 3. c. 51. c. 62.  
 § 67. l. 4. c. 4. § 12. von Ursachen des teutschen Kriegs.  
 Aen. Sylv. c. 14. de ort. § aut. Imp. Huc obtinet tritum  
 illud: Imperatoris esse Leges dare, non accipere: conse-  
 quens enim Majestatis est soluta legibus potestas; hinc  
 nefas esset asserere, Imperatorem Romanum Legibus  
 solutum non esse. Vid. D. Arum. de j. p. vol. 1. disc. 7. 8.  
 30. th. 2. § 3. f. 299. § seqq. vol. 2. disc. 14. licet non pro-  
 miscuè quibusvis, non legibus divinis, naturalibus, gen-  
 tium, & fundamentalibus, sed merè civilibus & positi-  
 vis. D. Reinkingk. d. l. class. 3. c. 12. n. 1. 3. 4. 5. § seqq. f. 296.  
 297. § 298. nec objici potest, quod Imperator tenea-  
 tur sese Capitulationibus juramentò obstringere, hoc  
 enim juramentum, quod Imperator capitulationis ser-  
 vandæ gratiâ interponit, ejus Majestati non præjudi-  
 care, dilucidè ostendit. D. Arum. de j. p. vol. 2. disc. 3. vol.  
 4. disc. 2. § 3. D. Reinkingk. d. l. l. 1. c. 9. f. 230. § seqq. n.  
 35. § seqq. f. 234. 235. 236. 237. nulla enim gens, præter Tur-  
 cicam, ita stupida ac barbara, & pecudum potius,  
 quàm hominum similis est, quæ non in Rege inaugu-  
 rando aliquam ab illo Regni conservandi fidem ac jus-  
 jurandum exigat, hoc ipsum enim totius Orbis Chri-  
 stiani usus in viridi observantia positus comprobat:  
 Rex Hispaniarum in inauguratione juramentò se suis  
 obstringit. Galliæ Rex in actu inunctionis jurejuran-  
 do se obligat: Hungariæ, Angliæ, Bohemiæ, Daniae,  
 Poloniæ & Sueciæ Reges jurant, & jurejurando se suis  
 devinciunt. It. d. l. n. 22. § seqq. f. 233.

IV. SE

## IV. SECULARIS ET ECCLESIASTICÆ JURISDICTIONIS OMNIGENÆ ADMINISTRATIO.

**J**urisdictio Universalis est, quæ in personas omnes ac causas universi Romani Imperi competit, & penes solum Imperatorem residet. D. Arum. *de j. p. vol. 2. disc. 7. th. 19. f. 152. & seqq.* Communiter quidem in ore habent Juris Publici Interpretes, vigore perpetuæ jurisdictionis concessæ Principes exercere posse in concesso territorio jurisdictionem, prout Imperator in toto Imperio Romano: hoc tamen assertum non indistinctè intelligendum est, quasi Imperatori æquales efficiantur, sed relatione habitâ ad subditos suæ provinciæ, in quos eandem vel similem jurisdictionem exercent, qualem Imperator in universos. Vid. D. Reinkingk. *d. l. l. i. class. 5. c. 6. f. 598. & seqq.* Et sic ratione universalis jurisdictionis Imperator nihilominus tanquam Supremus Princeps Imperii ubique jurisdictionem fundatam habet. D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 10. n. 66. f. 329.* D. Otth. *d. l. c. 11. f. 228.* D. Reinkingk. *d. l. c. 7. n. 44. f. 634.* semper enim jus superioritatis salvum manet Imperatori. D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 23. f. 290.* In Ecclesiasticis quoque rebus plenam Imperator potestatem habet. It. *th. 32. & c. f. 291. & seqq. d. vol. 1. & vol. 3. disc. 10. n. 79. f. 333.* D. Hahn. *ad Wes. de jurisd. 1. 8. f. 167.* D. Reinkingk. *d. l. t. 3. class. 1. c. 1. & seqq. f. 1054. & c.* non solum eligendi investiendique Episcopos, sed & eosdem

dem deponendi, & pro delictorum qualitate coerce-  
 di. It. *d. vol. 1. disc. 30. th. 39. f. 293.* hinc & preces prima-  
 rias in beneficiis vacantibus concedit. Thom. Mich.  
*de jurisd. th. 13.* Berh. Grævæus *ad Gail. 2. o. 155. consid.*  
*1. n. 4.* vigore cujus Cæsarea Majestas ex antiqua con-  
 suetudine & approbata observantia in omnibus ca-  
 thedralibus Ecclesiis, Collegiis, & Monasteriis per Ger-  
 maniam habet jus & facultatem suffragandi unum  
 Canonicum pro arbitrio, eumque nominandi, quem  
 Collegium recipere tenetur, quæ primariae preces vo-  
 cantur. Guilhelm. Durand. *in specul. l. 4. tit. de præbend.*  
*§. rest. vers. it. not. n. 7.* Joach. Cluten. *in syllog. rer.*  
*quot. th. 19.* P. Gregor. Tholos. *jur. univ. c. 7. n. 21.*  
 Marq. Freher. *ad P. de Andl. l. 2. c. 6. f. 179.* Buxdorff. *ad*  
*c. 5. A. B. concl. 65.* Goldast. *tom. 3. const. Imp. f. 106.* Unde  
 & investituram Episcopatum tanquam maximum  
 Regale à tempore hierarchiæ institutæ penes Impera-  
 torem fuisse, & adhuc manere, non obstante transa-  
 ctione Pontificis Calixti 2. cum Imperatore Heinrico  
 5. neque Nicolai 5. cum Imperatore Friderico 3. lucu-  
 tener demonstrat D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 9. n. 45. &*  
*seqq. f. 288. & 289.* Vid. D. Strauch. *dissert. j. p. 5. de con-*  
*trovers. Illustr. circ. Stat. Ecclesiast.* Indubitanter itaque  
 dicendum est, Imperatorem jurisdictionem exercere  
 posse tam in personas seculares quam Ecclesiasticas;  
 nec remoram facit, quod clericis non tam constitui-  
 onibus Pontificum, quam Imperatorum privilegiis fo-  
 ri præscriptionem tributam esse constet *ex N. 83. pr.*  
*N. 128.*



N. 128. *pr.* adeò ut tantum coram suo Episcopo sint  
 conveniendi. *c. 1. 12. 18. x. de for. comp. Pacian. cons. 146. n.*  
*113. Duar. de sacr. Eccles. l. 1. c. 2.* exinde tamen Summo  
 Principi in illos omnem jurisdictionem denegare, e-  
 jusque subjectioni penitus subtrahere, nimis durum  
 foret, primò, quod forum fortiri & subditum esse dis-  
 paria censeantur. *Gail. de pignorat. Obs. 15. n. 3.* adeòque  
 licentiosa admodum est consequentia: Clerici fori præ-  
 scriptione certò respectu potiuntur, nec coram Secu-  
 lari Magistratu se sistere tenentur, Ergò Imperatoris  
 subjectione penitus sunt exempti? secundò, privilegio-  
 rum concessio eorumq; confirmatio superioritatis sym-  
 bola sunt evidentissima. *Bald. in l. fin. n. 2. C. de Leg.*  
*Felin. c. 1. n. 24. vers. & hinc est. x. de Constit. Decian.*  
*vol. 1. resp. 8. n. 225. Wefenb. cons. 21. n. 68. Rutg. Roland.*  
*p. 4. c. 3. n. 27. l. 2. de Commiss. at Clerici Imperatorum*  
*privilegiis foro seculari sunt exempti. Ergò hoc sym-*  
*bolum est Superioritatis: quibus accedit, quod Prin-*  
*ceps non præsumatur contra se privilegium indulsis-*  
*se. Felin. cons. 27. n. 18. cum in quacunque generali lo-*  
*cutione excepta semper intelligatur persona proferen-*  
*tis. Schrad. de Feud. p. 6. c. 5. n. 13. & superioritas illa ju-*  
*risdictionis Imperali Majestati tanquam inseparabile*  
*adjunctum cohæreat. Bald. in l. fin. C. de hered. Paur-*  
*meist. l. 2. de jurisd. c. 4. n. 91. Hinc verissimum patet e-*  
*nunciatum Optati Milevitani l. 3. ad Parmen. asseren-*  
*tis, Rempublicam non esse in Ecclesia, sed Ecclesiam*  
*esse in Republica; cui suffragatur rescriptum Honorii*

VI DE

D

Ponti-



Pontificis *in c. 2. dist. 97.* Huc spectat jus absolvendi à juramento ad effectum agendi. Borch. *ad c. un. qua sint Reg. n. 4. Vultej. de feud. l. 1. c. 5. n. 7.*

## V. ULTIMA SIVE EXTREMA PROVOCATIO.

**D.** Schönb. *d. l. c. 15. f. 514.* D. Otth. *d. l. c. 11. f. 250.* D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 25. f. 290. vol. 2. disc. 16. §. 36. f. 559. vol. 3. disc. 14. §. 94. f. 430.* hoc summæ & ultimæ cognitionis jus, veram præ se fert Majestatem. Matth. Steph. *de jurisd. l. 1. c. 1. m. 2. n. 182.* ab Imperatore igitur non datur appellatio, quia gradatim fiat ab inferiore ad superiorem. *l. 1. §. 3. ff. de appell. N. 17. c. 3. n. fin. N. 23. c. 3. 6. anter. 2. q. 6.* Donell. *18. Comment. 7.* quia igitur ab Imperatore omnes dignitates, jurisdictiones, concessionem, & investuræ, ceu perenni fonte fluunt, ita ad eundem per appellationes, nullitates, & querelas refluunt. Thom. Mich. *de jurisd. th. 1.* Hillig. *in Donell. enucl. l. 17. c. 7. not. o.* Kirchn. *de Republ. disp. 2. th. 4.* D. Contr. Rittersch. *in part. feud. l. 1. c. 5. n. 15.* Gail. *l. 1. O. 30. n. 31.* & quia Imperator aliis potest indulgere jus de non appellando, Ergò eodem gaudeat oportet. Jas. *in l. imper. n. 29. ff. de jurisd.* Bornit. *de fund. Reip. stat. c. 22.* & adeò extremæ provocationis jus supremæ potestatis proprium, eique annexum est, ut ei nullò tempore à quoquam præscribi possit. D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 14. §. 62. f. 417.* It. *ad Aur. Bull. disc. 5. th. 13.*

VI. DE

VI. DE FEUDIS IMPERIO IM-  
 MEDIATE SUBJECTIS COGNITIO,  
 ET DE FEUDIS REGALIBUS  
 INVESTITURA.

**L**icet vacante Imperio Domini Electores Saxoniae & Palatinatus investire possint de feudis Imperii, attamen investitura de Principum feudis, novo Imperatori specialiter reservatur *per Auream Bullam tit. 5. § 7.* D. Ant. Gothofr. *disp. feud. 8. th. 4. lit. b.* D. Ort. Fohm. *disp. feud. 10. lit. a. § d.* D. B. Carpz. *disp. feud. 4. semic. quest. ill. 2.* D. Arum. *d. j. p. vol. 1. disc. 11. vol. 3. disc. 14. th. 78. f. 424. disc. 15. th. 47. f. 586.* Niell. *disp. feud. 10. th. 1. lit. a.* vel si inter duos Imperii vasallos contentio est de Feudo Ducatus vel Comitatus, tunc nec Camerae Imperialis jurisdictio, nec Austregarum beneficium locum habet, sed solus Imperator est iudex competens *per Ordinat. Cam. p. 2. t. 7. §. 1.* Vid. Gail. *1. O. 1. n. 31.* P. Frid: *l. 1. de Process. c. 19. n. 8.* D. Vult. *l. 2. de F. c. 2. n. 9.* Duar. *de F. c. 20. n. 2.* Borch. *de F. c. 10. n. 1.* Schrad. *de F. p. 10. sect. 5. n. 39. sect. 13. n. 46.* Illud etiam ad Imperatoris dignitatem spectat, feudum verè & absolutè ligium conferre. D. Vultej. *1. F. 8. n. 122.* Menoch. *cons. 32. n. 6. vol. 1.* Curt. *1. q. 8. n. 23.* D. Or. Fohm. *d. f. 1. th. 21. lit. a.* D. Ant. Gothofr. *d. f. 1. th. 3. lit. c.* D. Ludvv. *synops. feud. c. 3. f. 73.* Quibus solennibus investitura Feudorum Regalium hodie peragatur. Vid. D. B. Carpz. *quest. ill. 5. disp. feud. 8.*

Extra dubium igitur est Imperatorem etiam de Imperii bonis feudum dare posse, quamvis enim illorum proprietas non ad Ipsum Imperatorem jure patrimonii pertineat, tamen quatenus illis ad suam & Imperii dignitatem tuendam & augendam utitur, pro domino habetur. D. Ludvv. d. l. c. 5. f. 130. Habet autem Imperator potestatem hanc infeudandi ( quæ non pro alienatione cum Bocero *in tr. de invest. feud. c. 3. n. 67.* habenda ) bona Imperii, quamprimum electus est, etiamsi coronatus nondum fuerit, nec à Pontifice confirmatus juxta *Aur. Bull. c. 2. § 5. It. Recept. Imp. 1566. pr.* D. Reinkingk. *de reg. sec. § Eccles. l. 1. class. 2. c. 3. class. 3. c. 7. § 8.* In ejusmodi tamen feudis Imperialibus, quæ per vexillum dari, nobisque *ſahntſchen* appellari solent, non admittitur procurator, cum Aurea Bulla *tit. 5.* expressè de his caverit, ut vel ab ipso Imperatore, vel Rege Romanorum conferantur. Vid. D. Anton. Gothofredus *disp. feud. 4. th. 4 lit. b.*

## VII. BELLII INDICTIO ET ILLATIO.

**O**rd. Carn. p. 2. t. 15. Rec. Imp. de An. 1555. §. wo sie a  
ber keinen Herrn. Damhaud. *in prax. crim. c. 82. n.*  
*17. § segq.* Gail. 1. *de pac. publ. c. 4.* Ant. Coler. *de jur.*  
*Imp. sect. 28.* Bocer. *de Regal. c. 2. n. 141.* § *in tract. de*  
*bell. § duell. l. 5. c. 5. n. 2.* Dieter. *d. l. concl. 94.* Elias  
Schröder *disc. 23. de jur. publ.* D. Arum. *vol. 1. de j. p.*  
*disc. 23. § 30. th. 48. f. 291. vol. 2. disc. 17. § 32. f. 356. vol. 3.*  
*disc. 14.*

*disc. 14. §. 41. f. 406. disc. fin. f. 1031. vol. 4. disc. 39. plac. 1. f. 193. & seqq. D. Schönb. d. l. c. 12. f. 512. D. Otth. d. l. c. 11. f. 267. Et hoc jus ita Majestati cohærere ajunt, ut nul-  
lò modò ab ea divelli queat. Bodin. l. 1. de Rep. c. 14. l. 9. c. 1. Bocer. de bell. c. 4. & 17. Althus. c. 7. pol. f. 71. P. Heig. l. 1. q. 12. n. 29. & 52. Arnold. Clapm. l. 1. de Arcan. Rerump. c. 20. Barclaj. l. 3. c. 4. de Regn. & Regal. potest.*

## VIII. FOEDERUM INITIO.

**D.** Otth. d. l. f. 268. D. Arum. de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 30. f. 291. vol. 2. d. l. vol. 3. disc. 14. §. 44. f. 407. *disc. fin. f. 1031.* pari enim passu ambulat jus belli & foederum. Engelbr. de jurisd. concl. 66. lit. B. sive bellum indicatur & geratur, sive finiatur, utrumque Majestatis est. Dieter. d. l. concl. 94. Matth. Steph. l. 2. de jurisd. Rom. Imp. p. 1. c. 1. membr. 2. n. 50. usq. 62. quemadmodum igitur summus Magistratus habet potestatem belli indicendi, nec Statuum consensus, qui fit tanquam à piis membris cum quadam subjectionis contestatione per *Rec. Imp. A. C. 1541. §. darneben. 1552. §. und wiewohl. 1566. §. wir wollen/* in bello decernendo Majestatem Imperatoris tollit, sed æquitatis & moderatæ rationis condimentò temperat, uti D. Reinkingk. l. 1. *claf. 2. c. 2. n. 134. f. 68.* loquitur: ita quoque potestatem habet belli finiendi, sive pacis incundæ, adeoque jus percutiendi foederis non solum intuitu belli finiendi, verum etiam cujusvis publicæ amicitiae & auxilii mutui causâ, Jac. Bornit. de fund. Reipubl. stat. c. 24.

f. 233. *Et seqq.* Et sicut foederum pangendorum potestas olim soli populo competebat, teste Polyb. l. 3. f. 189. Ita hodie penes summum Principem fit oportet. Matth. Steph. l. 2. de *jurisd. p. 1. c. 1. n. 60.* Sixtin. de *Regal. l. 2. c. 1. n. 29.* Rich. Dieter. d. l. th. 107. Greg. Tholos. l. 11. de *Rep. c. 11. n. 3.* Zvvinger. in *theatr. l. 28. polit. for.* Alex. ab Alex. l. 4. *genial. c. 10.* Imperator etiam plenitudine potestatis efficere potest, ut de confraternitate pacificentes fratrum loco habeantur. Gail. l. 1. O. 127. n. 5. D. Schönb. l. 2. *pol. c. 13. f. 158.* Solus enim Imperator pactiones Imperii de mutua successione factas vulgò confraternitates Erbverbrüderung oder Erbvereinigung approbat. Clapm. l. 2. de *arc. rer. publ. c. 21.* Heig. p. 1. q. 23. n. 24. Muscul. de *succeß. convent. Et anomal. class. 1. membr. 1. concl. 3. lit. G.*

## IX. COLLECTARUM GENERALIUM IMPOSITIO.

Vulgò. Reichs = Steuer oder des Heil. Reichs Anlagen. Rec. Imp. de An. 1544. §. und wiewohl. *Et §. wo aber. de An. 1576. §. weiters. §. und nach dem. Et seqq. de An. 1594. §. Demnach soll. Et §. seq.* Gail. l. 2. O. 53. Cluten. *syll. rer. quot. th. 19. lit. a.* Prückm. ad §. *sol. pot. c. 4. membr. 2. eff. 4* Bacchov. ad *Treutl. 1. disp. 2. th. 2. lit. f.* Modestin. Pistor. *cons. 4. n. 1. vol. 1.* D. Schönb. l. 5. *pol. c. 12. f. 513.* D. Arum. de *j. p. vol. 2. disc. 17. §. 41. f. 560. disc. 20. §. 335. f. 621. vol. 3. disc. 14. §. 108. Et seqq. f. 435. Et c. disc. fin. f. 1054.* summum igitur Magistratum tributa  
indi-

indicare posse, nullam patitur hæsitationem. Klock. *in disert. de contrib. concl. 7.* neque obstat, quod in Imperatoris electione pactioibus caveri soleat, ne absque Statuum consensu liceat nova imponere tributa aut vestigalia: idem enim in Gallia, teste Bodino *de Republ. l. 6. c. 2.* Hispania, juxta Parlad. *1. rer. quot. c. 3. f. 17.* Hungaria, Anglia, Dania & Polonia regnis, prout testatur Heig. *p. 1. q. 18. n. 8.* frequentari constat, ne scilicet absque Procerum & Ordinum approbatione nova tributa imponantur. Jus autem collectandi esse de Regalibus, sed non de Reservatis, contra Bocerum defendit D. Casp. Klock. *de contrib. n. 137. & seqq.*

## X. MONETÆ PERCUSSIO, EJUSQUE VALORIS CONSTI- TUTIO.

**R** *Ecess. Imp. de An. 1570. §. obs dem auch. Boss. in tr. de monet. pr. Zas. de feud. p. 5. n. 14. Sonsb. p. 5. n. 19. D. Arum. de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 27. f. 290. vol. 2. disc. 17. §. 40. f. 560. vol. 3. disc. 14. §. 54. & 55. f. 413. & seq. D. Otth. d. l. c. 11. f. 299. unde & Carolo M. Imperatori tam augustum, tamque sanctum hoc Regale fuit, ut nullibi, quam in ipso palatio monetam cudi voluerit, Dieter. d. l. concl. 132. hinc legitur in jure civili Imperatores Romanos sibi curam nummorum reservasse. l. 2. C. de fals. mon. Damhaud. in pract. crim. Arn. Clapmar. l. 1. de arc. Rerumpubl. c. 16. unde illi, qui mone-*  
tam

tam licet probam propriam auctoritate cudunt, crimen  
 læsæ Majestatis committunt. *Viglin Const. Car. c. 10.*  
*Hieron. Gigas. tr. de crim. læs. Maj. l. 1. rubr. qual. Et in*  
*quib. q. 62. Bocer. de jur. mon. c. 5. n. 1. jus igitur mone-*  
*tandi coronæ adhæret, ossibusque Summi Principis*  
*annexum est. D. Arum. ad A. B. disc. 5. §. 9. adque jura*  
*Majestatis pertinet, quia publicæ utilitatis interest, ut*  
*huic rei benè prospiciatur: hinc & Imperator Com-*  
*modus Persennem pœna capitis affecit, quod num-*  
*mos publicos suam imagine signasset. Arnif. l. 2. pol. c. 11.*  
*f. 558. ne autem ex mutatione monetæ quis damnum*  
*sentiatur, terminus poni solet, post quem moneta pro*  
*mutata vel reprobata debeat haberi, juxta Recept. Imp.*  
*A. C. 1559. Kaysers Ferdinand Münz-Ordnung. §. und*  
*nachdem die Frembde. Ibi, so setzen/ordnen und wollen wir ic.*

## XI. IMPERII PRÆTORII CONFIRMATIO.

**T**Riplex est Prætorium Imperiale. (1) Aulicum, der  
 Kaysersliche Reichs-Hofrath zu Wien. (2) Spirensis,  
 five Camera Imperialis. Das Kaysersliche Cammer-Gericht  
 zu Speyer / quæ est supremum Imperii tribunal,  
 quo apud Imperii Judices live Assessores legitima rei  
 controversæ inter ligantes tractatio instituitur. (3)  
 Rotvvilense, Das Kaysersliche Hoff-Gerichte zu Roth-  
 weil / quod est collegium Judicum, qui loco Cæsaris  
 in districtu Rotvvilano jurisdictionem exercent. D.  
 Otth. de j. p. c. 11. f. 240. Et seqq. D. Schönb. l. 5. pol. c. 20.

XII. LE-



# XII. LEGATORUM MISSIO, EORUMQUE RECEPTIO.

**I**us mittendi legatos soli Imperatori primario & per se, secundario vero Principibus tribuitur. D. Otth. d. l. f. 287. c. 14. f. 363. D. Arum. de j. p. vol. 1. disc. 29. concl. 5. f. 268. disc. 30. th. 31. f. 291. vol. 2. disc. 21. n. 22. f. 634. sive Principes Germaniæ usu id obtinent. Kirchn. l. 1. de legat. c. 5. & de Republ. disp. 10. th. 1. lit. d. Arnif. de jur. Maj. c. 5. n. 16. memorabile est, quod de Imperatore Maximiliano I. refertur, eum legatis gallicè, Italicè, latinè, & germanicè respondere potuisse. Apoleph. p. 3. hist. f. 28.

# XIII. POENARUM IRROGATIO, EARUM LIBERATIO, FAMÆ ET IN INTEGRUM RESTITUTIO.

**C**ompetit Imperatori jus vitæ & necis. D. Otth. d. l. c. 11. f. 263. D. Arum. de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 12. f. 286. vol. 3. disc. 14. §. 70. f. 421. quando Principes adversus Imperatorem graviter delinquant, banni poenam incurrunt. Mynsing. cent. 1. Obs. 91. Sixtin. de Regal. c. 6. n. 60. reservatum enim summæ Majestatis est in die  
**Ucht-Erklärung.** D. Arum. disc. ad Aur. Bull. 5. th. 12. & de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 24. f. 290. D. B. Carpz. quest. ill. 1. n. 19. disp. feud. 7. Ecclesiastici delinquentes privantur bonis feudalibus, privilegiis & Regalibus, quæ ab Im-

E pera-



peratore habent, & quorum nomine Principes Imperii vocantur, forumque Cæsaris sortiuntur. Gail. *l. 1. de Pac. publ. c. 8. n. 8.* penes Imperatorem quoque est potestas veniam delictorum concedendi, si poenam minuire & remittere. Matth. Stephan. *de jurisd. l. 2. p. 1. c. 1. membr. 2. n. 125. & seqq.* Roland. à Valle. *cons. 4. n. 4. l. 3.* P. Heig. *2. q. 22* D. Schönb. *l. 5. pol. c. 24.* modò ne à lege Divina certa poenæ species sit definita. Danæ. *Eth. Christ. l. 2. c. 13. & pol. Christ. l. 6. c. 3. f. 410. & seqq.* Arnis. *l. 2. de jur. Maj. c. 2. n. 6.* Vid. Farinac. *p. 1. de delict. q. 17.* Gail. *l. 2. de pac. publ. c. 9. n. 24. & seqq.* In tantum autem venia & gratia facienda amissi iceleris ad Majestatem & superioritatem spectat, ut licet Carolus 5. Imperator Senatui Mediolanensi potestatem ferè Regiam propter sui absentiam dedisset, attamen damnatorum restitutionem exceperit. Bodin. *de Rep. l. 1. c. 8. & 10.* D. Arum. *de j. p. vol. 2. disc. 17. n. 38. f. 560.* Huc pertinet jus cognoscendi de crimine læsæ Majestatis, & absolvendi aliquem à juramento ad effectum agendi D. Otth. *d. l. f. 264. & seq.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 14. §. 88. & seqq. f. 427. & 429.* huc etiam spectat jus famæ restituendæ. *Rec. Imp. de An. 1526. §. und wiewohl.* D. Otth. *d. l. f. 239.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 14. §. 83. f. 426.* D. Ant. Gothofr. *d. l. lit. f. Arnis. de jur. Maj. l. 2. c. 3. n. 15.* Rosenth. *de feud. c. 5. concl. 2. n. 4.* Matth. Stephan. *de jurisd. l. 2. p. 1. c. 1. m. 2. n. 123.* Potest quidem alius Princeps inferior subditum suum famæ restituere, quæ tamen restitutio intra limites territorii, regni vel jurisdicti-

ditionis ejus coercetur. Peregr. *de jur. fisc. l. 1. t. 2. n.*  
 54. Huc referri potest restitutio in integrum. Ant. Fab.  
*in Cod. rer. in Sab. jud. l. 2. t. 32. def. 2. n. 6. § 7.*

## XIV. REGUM, ELECTORUM, ARCHIDUCUM, MARCHIONUM, LANDGRAVIORUM, COMITUM, ET BARONUM CREATIO.

**M**Arq. Freher. *ad l. 2. c. 11. P. de Andl.* Richard. Di-  
 eter. *concl. 121. de sum. Princ. pot.* Althus. *c. 29. pol.*  
*n. 19. § seqq.* D. Otth. *d. l. f. 232.* D. Arum. *de j. p. vol. 2.*  
*disc. 17. §. 33. § seqq. f. 557. § 558. vol. 3. disc. 14. §. 48. f. 418.*  
*disc. fin. f. 1052.* D. Schönb. *d. l. c. 15. f. 516.* Nemo Regum  
 potest creare Regem, ut meritò asserit Kirch. *in Orat.*  
*de Stat. Imp. Rom. § de Republ. disp. 2. th. 5. ad lit. d.*  
 tale autem jus Imperator habet. Ita Fridericus 1. Im-  
 perator Petro Daniae Duci regia stemmata dedit, ac  
 Regali potestate beavit; Praefecturam Bohemiae Regiâ  
 appellatione subornavit: Marchionatum Austriae Du-  
 catûs dignitate donavit. Otto 3. Imperator Boleslaum  
 Ducem Poloniae Regem salutavit & declaravit: eo-  
 dem tempore Ungariae Regni titulum usurpavit, quem  
 post Otthonem confirmavit Henricus 2. Imperator.  
 Quamvis autem etiam alii Reges Superiorem non re-  
 cognoscentes, reservata Imperatoris in signum singu-  
 laris praeminentiae exercere possint, veluti creare Du-  
 ces &c. ab illis tamen creati in Regnis duntaxat suis

pro talibus habentur, non extra illud. Matth. Stephan.  
*l. 2. de jurisd. p. 1. c. 1. n. 18.* De reservatis igitur solius Im-  
 peratoris est, creare Romani Imperii Duces, Principes:  
 &c. Ita Rudolphus 1. Imperator Comites à Zollern, &  
 Burggravios Noribergenses, Sigismundus Imperator  
 eosdem Marchiones Brandenburgenses, additâ Septem-  
 virali dignitate, constituit. Dieter. *d. l. concl. 121.* Idem  
 Sigismundus Adolphum secundum Cliviæ, & Ama-  
 dæum Sabaudiaë Comites collocavit in sublimiorem  
 Imperii sedem. Peucer. *l. 5. Chron. in vit. Sigism.* Bodin.  
*l. 1. de Rep. c. 9. n. 128.* A Maximiliano 1. Imperatore A.  
 C. 1497. in Comitibus Wormatiensibus Comes Eberhar-  
 dus Barbatus, Würtenbergensis Dux creatus est. Si  
 quis enim de Ducatu, vel Marchionatu est investitus,  
 non statim eò ipsò est Dux vel Marchio, nisi loci con-  
 suetudo hoc patiatur; siquidem notum est quibus-  
 dam in locis, ut si quis in illo sit Dux, in alio sit priva-  
 tus, requiritur ergò specialis solennitas, ut ab Impera-  
 tore, cui hoc jus competit, Dux creetur. Matth. Steph.  
*d. l. c. 6. n. 32.* quod tamen in dubio voluntatem con-  
 ferendæ dignitatis Imperatorem habuisse præsumitur.  
 Gail. *de Arrest. c. 6. n. 9.* Et quod vigore Cæsareæ Ca-  
 pitulationis cum Carolo 5. Imperatore initæ, cujus  
 Schleidan. *l. 1. de pac. Relig.* meminit, jus feuda Imperio  
 aperta aliis reinfeudandi non sit succisum & restrictum,  
 neque Auream Bullam *tit. 7. ibi: und ob derselbe Für-  
 stenthumb. &c.* sublatam esse, probat Buxtorff. *ad Aur.  
 Bull. conclus. 87.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 14. §. 50. f. 411.*  
 veluti

veluti Rudolphus Comes Hasburgensis, cùm Austriam suo tempore legitimò destitueretur hærede, eam Imperio vindicans, filio Alberto concessit, unde Archiducum Austriæ origo: Ita Sigismundus Imperator extinctam familiam Ursorum in Alberto, Electoratum Saxoniam ad Imperium devolutum, Friderico I. Marchioni Misniae in Feudum dedit, ex quo hodierni Electores Saxoniam descenderunt. Positò verò, quod Imperator hodie Feuda Regalia aperta absque consensu Procerum Imperii (prout Albertus & Ernestus Duces Saxoniam de Ducatu Juliacensi & Montium absque Electorum & Statuum Imperii consensu investiti fuerunt ab Imperatore Maximiliano I. A. C. 1486. teste Nic. Eberh. Jun. *cons. vol. 1. cons. 1.*) aliis conferre non possit, adeoque actu etiam secundo ab Imperio recognoscantur necesse sit, nihilominus tamen etiamnum soli Imperatori Feudorum majorum cognitionem & dijudicationem competere, dicendum est, quia Capitulationes aliam cognitionem, si de illis controversia oriatur, non adimunt; & adhuc verum manet, quod solus Imperator feuda Regalia concedat. Gail. *l. 2. O. 153. n. 1.* Andr. Knich. *de jur. territ. c. 1. n. 322. Et seqq.* Rosenth. *de F. c. 2. concl. 1. n. 3.* D. Vult. *de F. c. 8. n. 10.* D. Ant. Gothofr. *d. f. 1. th. 6. lit. e.* Omnes igitur Magistratus per Imperatorem sive ejus beneficio sunt, quicquid sunt, & ab eo habent, quicquid habent dignitatis. D. Corr. Rittersh. *ad N. p. 2. c. 2. n. 4. pr. f. 129.*

## XV. NOBILIUM ORDINATIO.

Si enim, ut ex præcedentibus patet, Imperator Majores, multò magis minores dignitates conferre potest, scilicet Nobilium, aut Equestris Ordinis. Tiracquell. *de Nobil. c. 5. § 6.* Rosenth. *de F. c. 2. concl. 2. n. 3.* D. Otth. *d. l. c. II. f. 234.* D. Ludvv. *syn. feud. c. 6. f. 152.* ita quidem, ut in toto Imperio jus nobilitandi habeat. Chassan. *de glor. mund. p. 8. consid. 17.* in Imperatore enim omnes dignitatum thesauri reconditi sunt. Borcholt. *de Feud. c. 4. n. 12.* & ab eo, tanquam à fonte totius jurisdictionis, Clapmar. *de Arc. Rep. l. 4. c. 4.* Camman. *in disp. pot. jur. 6. th. 59.* Forst. *de success. l. 6. c. 33. n. 28.* profluere censentur. Goedd. *cons. 3. n. 33. § seq.* P. Heig. *l. 1. q. 49. n. 18.* Schrader. *de F. p. 4. c. 1. n. 2.* Cravett. *cons. 92. n. 99. § cons. 963. n. 2.* Rol. à Vall. *vol. 3. cons. 4. n. 4.* Marant. *in Spec. aur. p. 4. dist. 5. n. 3.* Imò, Imperator ex plenitudine potestatis facere potest, ut novus homo, non obstante ludorum equestrum lege, omnes quatuor avos nobiles non habentes, excludente, iis ludis equestribus interesse possit. Prückm. *in §. sol. pot. c. 4. membr. 1. eff. 4. n. 12. § seqq.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 15. th. 26. f. 551.* Ad Majestatem igitur jus nobilitandi pertinere adeò certum est, ut indignum quoque nobilitare possit, si ex certa scientia & non ex ignorata ejus conditione id faciat: licet cum Poggio *in libr. de Nobil. quem Arnis. l. 1. pol. c. 12. f. 399.* allegat, dicendum sit, peccari, si nobilitas solò pretiò, Venetorum more, de

de quo Autor *Relat. Histor. Francof. circ. Rel. autum.*  
*de A. C. 1662. f. 48. in fin. A. C. 1663. f. 41. A. C. 1665. f. 95.*  
*A. C. 1666. f. 54. It. in Relat. pasch. A. C. 1667. f. 30. A. C.*  
*1670. f. 16. vendatur.*

## XVI. COMITUM PALATINORUM, DOCTORUM, MAGISTRO- RUM, POETARUM, ET NOTA- RIORUM CONSTITUTIO.

**D**• Arum. *de j. p. vol. 3. §. 52. f. 412.* D. Otth. *d. l. c. II. f.*  
 237. Imperator habet jus creandi Comites Pala-  
 tinos. Rosenth. *de Feud. c. 5. concl. 2. n. 4.* Montan. *l. 5.*  
*de F. c. 7.* Doctores & Licentiatos in omnibus supe-  
 rioribus facultatibus, Item Magistros artium. Sixtin.  
*de Regal. c. 2. n. 29. & 32.* Poetas laureatos, atque Nota-  
 rios. Paris de Puteo. *in tr. de synd. in verb. de excess.*  
 Borcholt. *in c. 1. que sint Regal.* D. Otth. *d. l. f. 237.* &  
 quidem immatriculatos, qui in toto Imperio Roma-  
 no adhiberi possunt. Matth. Stephan. *de jurisd. l. 2. p.*  
*1. c. 5. n. 77.* D. Arum. *de j. p. vol. 2. disc. 18. §. 31. in fin.* Imò  
 Notarii ab Imperatore creati etiam in aliis locis extra  
 Imperium officio suo rectè uti possunt. Gail. *l. 2. O. 71.*  
*n. 13.* licet autem alii Status Imperii Notarios creare pos-  
 sint, eorum tamen authoritas non ita est generalis, sed  
 restrictiva ad eum saltem locum, in quo creati sunt.  
 Matth. Stephan. *de jurisd. l. 2. p. 2. c. 5. n. 7.*

XVII.

## XVII. PRIVILEGIORUM ET IMMUNITATUM CONCESSIO, EARUMQUE ABROGATIO.

**C**oncedere privilegia est summæ & legibus solutæ potestatis. Cravett. *cons.* 640. n. 2. *cons.* 973. n. 19. Vafq. *illustr. contro. c. 1. n. 6. & seqq.* Cacheran. *decis.* 136. n. 5. & 15. Boër. *decis.* 178. n. 8. Borcholt. *de Feud. c. 5. n. 37.* Imperator autem adhuc hodie dat & confirmat privilegia Regibus, Principibus, & aliis per *Aur. Bull. t. 8. & II. Rol. à Vall. cons. 4. n. 47. vol. 3. Natt. cons. 636. n. 135. D. Schönb. l. 5. pol. c. 16. f. 518. D. Arum. de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 17. 18. 19. f. 288.* jus etiam aureorum annulorū ipsi competit, de quo Alex. ab Alex. *l. 2. gen. dier. 29. Sigon. 2. de jur. antiq. c. 3. in fin.* huc pertinet concessio absolutæ & plenæ securitatis sive salvo-guardiæ D. Schönb. *d. l. c. 25. f. 529. D. Otth. d. l. c. 11. f. 266. vel salvi conductus. D. Arum. d. l. vol. 2. disc. 5. vol. 4. disc. 14. §. 90. & seqq. f. 428.* seu securitas, quam vocamus *Geleit zu Ausführung berümbter Unschuld.* Matth. Steph. *de jurisd. Rom. Imp. l. 2. p. 1. c. 7. n. 421.* De immunitatibus Vid. Chassanæ. *in cat. al. glor. mund. Sixt. de Regal. l. 1. c. 2. n. 36. l. 2. c. 2. n. 24.* Confirmatio igitur privilegiorum & immunitatum spectat ad Imperatoris majestatem & prærogativam. Stephan. *d. l. c. 1. memb. 2. n. 150. & seqq.* modò ejusmodi privilegia non tendant in præjudicium tertii. Mynsing. *cons.* 19. n. 13. & *Obs. 8. n. 5. cent. 4.* Imò Imperator ejusque successores privilegia subditis  
ex



ex benigna & propensa munificentia, ac liberalitate per modum gratiæ indulta absque causa revocare, & antiquare de plenitudine potestatis potest, per *Auream Bullam c. 12. in fin. can. 19. x. de præscript. c. 4. de privileg. D. B. Carpz. part. 1. decis. 87. n. 16. f. 214.* & competit hæc privilegiorum revocatio Imperatori vi summæ & absolutæ potestatis. Pet. Anton. de Petr. *de potest. Princ. c. 24. n. 220.* quæ verò in inferiores non cadit, nec unquam in illos ab Imperatore salvò Majestatis jure transferri potest. *Recess. Imp. de An. 1576. §. Da durch dann nicht allein &c. Covarr. pract. quest. c. 4. n. 1. P. Heig. p. 1. q. 4. n. 25.* multò magis omnia jura, Statuta, & privilegia, quæ contra pacem & utilitatem publicam sunt, de plenitudine potestatis tollit. Tib. Decian. *resp. 19. n. 153. vol. 3.*

## XVIII. LEGITIMATIO.

**D**. Otth. *d. l. f. 238.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 14. §. 79. f. 424.* nam extra legitimum matrimonium quæritos legitimare per Rescriptum non extantibus legitimis & naturalibus liberis, potest. Rosenth. *de Feud. c. 5. concl. 2. n. 4.* Covarr. *p. 2. de matrim. c. 8. §. 9. n. 7.* Imò, etiamsi liberi legitimi extent, ut ex Gailio, Peregrino, Rosenthal, & Covarruvio probat D. Schönb. *l. 5. pol. c. 18. f. 521.* Et sicuti legitimationis jus de reservatis Imperatoris est, ita quoque confirmatio legitimationis soli Imperatori competit, nec hac in re Camera Imperialis concurrentiam allegare valet,

F

juxta

juxta Thom. Mich. *de jurisd. concl.* 32. Matth. Stephan. *l. 2. de jurisd. c. 1. n. 122.* Sixtin. *d. l. 1. de Regal. c. 4. n. 107.* An autem Pontifici Romano competat potestas minus legitimè natos legitimandi, Vid. Magnifici D. Strauchii Juris Consulti celeberrimi *Innocent. 3. Independent. Regn. Gall. assert. sive Disserat. Can. tert. ad c. 13. Decret. tit. Qui fil. sint legit. c. 2.*

## XIX. VENIÆ ÆTATIS ATTRIBUTIO.

**P**eregrin. *l. de jur. fisc. n. 10.* Afflict. *in c. un. quæ sint Regal.* Otth. *d. l. f. 240.* D. Shönb. *d. l. c. 18. f. 521.* Imperator igitur veniam ætatis concedere potest, exemplò Ottonis Ducis Brunsvicensis, Christiani 4. Daniæ Regis, Georgii Landgravii Hassiæ, & Caroli Lotharingiæ Ducis. D. Reinkingk. *de Regim. sec. & Eccles. l. 1. class. 3. c. 12. n. 57. f. 302.* in hunc enim effectum petitur, ut ipsi Minores, nondum legitimæ & perfectæ istius ætatis, quâ rebus suis commodè præesse possint, propriâ authoritate absque Curatoribus bona sua administrare & liberè cum aliis contrahere possint, prout exemplum Caroli Lotharingiæ Ducis, Postulati Episcopi Metensis, cui in aula Imperatoria Pragensi venia immaturæ ætatis ad Episcopatus istius investituram, administrationemque adipiscendam concessa fuit, adducitur quoque à Thom. Mich. *de jurisd. th. 32.* Bocer. *in tr. de Regal. c. 2. n. 131. & seq.* It. *class. 5. disp. II. th. 4.* Sixtin. *l. 1. de Regal. c. 2. n. 22.* Matth. Stephan. *de jurisd.*

*risd. l. 2. p. 1. c. 1. n. 2.* sic Rvdolphus 2. Imperator veniam ætatis concessit Regi Daniæ A. C. 1593. cuius meminit Hering. *in tr. de fidej. c. 7. n. 110.* Sic Scipio Africanus sefat annos habiturum dicebat, si modò Populus Romanus vellet. Augustus Imperator magistratus atque honores & ante tempus, & quosdam novi generis, perpetuosque cœpit, consulatum verò 20. ætatis annò adeptus est. D. Schönb. *d. l.*

## XX. CIVILEGII DATIO.

Solus enim Imperator spiritum & vitam dat civitatibus. i. e. jus civitatis tribuit. D. Obrecht. *de Regal. tit. 8. concl. 188. Et seqq.* D. Otth. *d. c. 11. f. 265.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. §. 103. f. 432.* Ita Imperatorem Fridericum Castellensibus jus civitatis dedisse ex Natt. *cons. 636. n. 110.* recenset Thom. Mich. *de jurisdict. concl. 12. lit. c.* subjiciens, quod, cùm Albertus Comes Mansfeldius viro cuidam propè Islebiam jus civitatis *das Stadt-Recht* concedere vellet, Imperator Maximilianus I. A. C. 1514. mandatò inhibitoriò id fieri vetuerit.

## XXI. ACADEMIARUM FUNDATIO.

Ord. Cam. *p. 1. tit. 3. §.* Desgleichen sollen die Besitzer. *Zas. de feud. p. 5. n. 14.* Sonsbec. *p. 8. de F. n. 19.* Vult. *l. 1. de F. c. 5. n. 7.* Schneidevv. *de F. p. 2. n. 97.* Rosenth. *c. 5. concl. 2. lit. i.* Sixtin. *de Regal. l. 1. c. 2. n. 26.* D. Schönb. *d. l. c. 17. f. 520.* D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 30. th. 41. f. 294.*



*vol. 3. disc. 14. §. 72. Et seqq. f. 422.* Et hoc fieri publicè interest, ne ad seminanda potius vitia, quàm propagandas virtutes, & ad evertendam Ecclesiam magis, quàm conservandam veram religionem à quibusdam privatâ autoritate Academiae instituantur. Tholosan. *de Republ. l. 18. c. 5. n. 1.*

## XXII. NUNDINARUM PERMISSIO.

**I**mperator enim nundinas annuas five mercatus publicos, germanicè *Zahrsmärkte* permittit. Bodin. *l. 1. de Rep. c. 16.* Gail. *l. 2. O. 89. n. 24. Et seq.* Tessaur. *decis. 264. n. 3.* D. Schönb. *d. l. c. 17. f. 520.* D. Arum. *d. j. p. vol. 1. disc. 30. th. 26. f. 290. vol. 3. disc. 14. §. 97. f. 430.* poterit etiam Imperator nundinas five mercatum alicui oppido vel civitati auferre & aliò transferre. Natt. *cons. 511. Et 512.* Nundinarum verò privilegium Imperator alicui dare non solet, nisi prius adjacentibus & vicinis Civitatibus & pagis, quorum interesse posset, auditis. Gail. *l. 2. Obser. v. 69. n. 25.*

## XXIII. POSTARUM INSTITUTIO.

**S**ingulare Imperatoris Regale est, jus instituendi & confirmandi cursus publicos, sive equos publicos per publicas vias disponendi. Cluten. *in syllog. rer. quot. concl. 22. lit. b.* D. Schönb. *d. l. c. 17. f. 520.* D. Otth. *d. l. c. 11. f. 266.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 14. §. 102. f. 432.* plurimum enim ad securitarem Reipublicæ facit, quia nihil  
magis

magis è re potest essealicujus Principatus, quàm si Pri-  
 ceptus, quidin quocunque ejus angulo geratur, probè ex-  
 ploratum habeat. Joach. Cluten. *in syllog. rer. quot. concl.*  
*22. lit. 8. Fürstl. Eischreden p. 1. c. 46.* hinc Indorū Philsopho-  
 rum quidam Alexandrum Magnū Regem Græciæ ad-  
 monebat, ut in medio Regni sedē sibi eligeret, quod illic  
 facilius & motus gliscentes compescere, & quid ubi-  
 que geratur, intelligere possit. Arnis. *de jur. Maj. min. c. 5.*  
 quos autem Principes, aut cæteri Status Imperi in suis  
 ditionibus habent cursor s, *Lands:* non *Reichsposten* di-  
 cuntur. D. Reinkingk. *de Reg. sec. & Eccles. l. 1. class. 5. n. 134.*  
 Hinc cum A. C. 1579. Dux quidam Germaniæ postas  
 generales in Belgium & Italiam disposuerat, hoc ipsum  
 ab Imperatore pro suæ Majestatis juris tuitione severè  
 fuit interdictum. Arn. Clapmar. *de arc. Imp. c. 21.* Six-  
 tin. *l. 2. de Regal. c. 13. n. 42.* Matth. Steph. *l. 2. de jurisd.*  
*c. 1. n. 110. & seqq.* Et A. C. 1596. & 1597. Magistro Posta-  
 rum officium ab Imperatore confirmatum est, reliquis  
 privatis & civitatum cursoribus *Mezger-Post und Neo-*  
*ben-Boten* generali Imperatoriò diplomate sublatis.  
 Thom. Mich. *de jurisd. Imp. Rom. conc. 12.* Regn. Sixtin.  
*de Regal. l. 2. c. 13. n. 42.* Hos igitur cursores instituere ad  
 Imperatorem pertinet, sicut in Anglia & Gallia Regum  
 autoritate introducti sunt. P. Greg. Tholos. *in synt agm.*  
*jur. l. 17. c. 12. n. 7. 8.* Joach. Cluten. *in syllog. rer. quot. concl.*  
*12. lit. c.*

## XXIV. REPRESSALIARUM INDUCTIO.

VVesenb. *cons. 46. n. 7.* Coler. *de process. exec. p. 1. c. 2.*

n. 269. D. Arum. d. j. p. vol. 2. disc. 8. th. 2. lit. b. f. 209. Re-  
 pressalia enim conceduntur publicâ Magistratus auto-  
 ritate, & Principis superioris consensu, ut scilicet ob  
 denegatam justitiam, illatæ injuriæ in exteris provinci-  
 is, vel damni si quid datum fuerit, vindicentur, alterius  
 bona addicendo, vel gravando. Vid Ernest. Cothm.  
 resp. 52. n. 381. & seqq. vol. 2. & resp. 33. n. 151. & seqq. vol.  
 3. Francisc. Bursat. l. 2. cons. 138. n. 62. Paul. Castrens. cons.  
 424. n. 5. & quod jure possint defendi, probat D. Arum.  
 d. j. p. vol. 4. disc. 25. f. 100. & seqq. Affinia repressaliis sunt,  
 arresta, pignorationes, clarigatio, jus Marchæ, seque-  
 strationes, obstagium, & spolium. D. Arum. d. l. th. 7 f.  
 226. vol. 2. germanicè *Shede/ Rechtliche Hemmung/ Auf-  
 haltung/ Kummer/ Pfandung*. Vid. Peint. Halsger. Ordn.  
 art. 129. P. Heig. q. 12. n. 6. & seqq. pignorationes enim pri-  
 vatô arbitriô & autoritate partium jus suum tueri vo-  
 lentium, ob turbatam jurisdictionem & possessionem  
 fiunt. Gail. de pignor. c. 1. n. 4. s. 6. & regulariter sunt pro-  
 hibitæ. Vid. Gylman. tom. 1. suppl. & vot. Camer. p. 1. t.  
 5. vol. 2. q. ult. n. 29. f. 419. D. Joh. Köpp. decis. 41. n. 1. & 2.

## XXV. JUDÆORUM RECEPTIO.

Recepiendorum Judæorum jus Majestatis quoque  
 prærogativæ annumerandum esse patet ex *Aurea  
 Bulla. t. 9. & Poltey-Ordnung zu Aulspurg. de An. 1548.  
 tit. von Juden und ihrem Bucher / und zu Franckfurth  
 de An. 1577. verbessert.* prohibitæ tamen sunt Judæorum  
 syna-

synagogæ. D. Schönb. *l. 3. pol. c. II. f. 257.* eorum etiam receptio fiat, ut legibus sese subjiciant. *It. l. 5. pol. c. 26. f. 530* quales recenset D. Otth. *de j. p. c. 19. f. 456. Et seq.* & ut ab immodicis istis exactionibus, usurisque illegitimis abstineant. Ant. Tessaur. *decis. 57. P. Denais. in jur. Cam. tit. 150.* non possunt autem pro lubitu absque Imperatoris præviò consensu expelli, sed prius mandatum cum clausula scilicet justificatoria impetrandum est. Rutg. Ruland. *de commiss. p. 2. 3. l. 7. c. 3. n. 5.* nisi adsit imminens periculum. P. Gregor. *syntagm. l. 22.* Hodie omnes Judæi non solum Viennâ, sed etiam ex omnibus Cæsareæ Majestatis provinciis hæreditariis ob prægnantes causas, quæ in Actis & Relationibus publicis exprimuntur, expulsi sunt.

## XXVI. VECTIGALIVM IMPOSITIO.

**B**odin. *l. 1. de Reg. c. fin. n. 169.* Mynsing. *5. O. 29.* D. Schönb. *d. l. 5. c. 17. f. 520.* D. Arum. *de j. p. vol. 2. disc. 20. §. 8. f. 615. vol. 3. disc. 14. §. 104. f. 432. disc. 15. §. 41. f. 577.* D. Otth. *d. l. c. II. f. 296.* in peculiaris enim reservationis Imperatoris signum constitutum fuit, ut nemo possit ultra portoria sive telonia solita aliquid exigere, *den Zoll steigern gehört zu Keyserlichen besondern Hoheit und Reservaten.* *Rec. Imp. de An. 1576. §. weiters sind wir.* Sixtin. *de Regal. c. 2. n. 42. Et seq.* Rol. à Vall. *cons. 1. n. 147. l. 1. Et cons. 42. n. 33.* Ant. Coler. *de jur. Imp. Germ. sect. 33.*

## XXVII. FERIARUM INTRODUCTIO.

**E**st enim Majestatis *l. 4. C. de fer.* unde facultas ferias iudicen-

dicendi vel etiam mutationem circa dies prius ipsis destinatos inducendi, rectè denegatur Pontifici, quam, cum in Calendarii novi obtrusione sibi sumere vellet, non immeritò à nostratibus id non admissum. D. Struv. *Syntagm. jur. civ. exerc. s. th. 26. f. 171.*

## XXVIII. FLUMINUM NAVIGABILIUM POSSESSIO.

**R**egalibus quoque annumerantur flumina navigabilia D. Otth. *d. l. f. 292.* quæ penè omnia publica §. 2. *J. & l. 4. ff. de Rer. Div.* & sic in Imperio Romano solius sunt Imperatoris, à quo alii Principes, per quorum territoria labuntur, illa vel concessione, vel præscriptione habent. D. Schnobel. *disp. feud. 4. §. 22.* Quò respectu verò flumina hæc navigabilia Regalibus apponantur, explicat Radevicus, quem refert & sequitur Cujac. *ad c. un. 2. F. 56.* quod nempè omnis utilitas ex decursu fluminum proveniens ad Imperatorem pertineat, quod interpretatur Cujacius de vectigali, quod à trans-euntibus nautis solvitur: quatenus sit Majestatis Vid. *Arnis. de jur. Maj. min. c. 5.* Hæc tamen flumina non quorumlibet, per quorum territoria fluunt, sed solius Imperatoris in Imperio Romano, vel aliorum non Superiorem recognoscentium propria, & in eorum dominio sunt, sive universaliter sive particulariter considerentur, nisi alium superiorem recognoscentes, per quorum territoria transeunt, ex concessione, vel præscriptione, consuetudineve ea habere constet. Sixtin.

*de*



*de Regal. l. 2. c. 3. n. 31.* nihilominus quoad usum hæc flumina publica manent, & cuilibet licet iis uti, modò sine injuria alterius hoc fiat. Vultej. *de feud. c. 5. n. 6.* Quemadmodum autem ipsa flumina navigabilia, & ex quibus navigabilia fiunt, Regalibus annumerantur; sic & eorum alveum, quousque deservit flumini publico, ejusdem juris, & de Regalibus esse tradit Heig. *q. 40. n. 129. p. 2.* Ruland. *de commiss. p. 4. l. 2. c. 15. n. 2.* Idque in Camera Imperiali comprobatum esse testatur Sixtin *d. l. n. 29.* Huic Regali fluminum navigabilium, & alia Navigabilia facientium affine videtur esse compendium Naufragiorum, quod sibi vendicant Regalia habentes in Sicilia, Anglia, & Gallia, quibus nempè persuasum, cum flumina pertineant ad Regalia, bona etiam eorum, qui naufragium passi sunt, cadere in commissum & ad Dominum loci, cujus est flumen pertinere. Besold. *disp. pol. 3. class. 1. th. 41.* Sed hoc compendium iniquissimum & barbarum esse fatetur ipse Bodin. *de Rep. l. 1. c. 10.* hinc Imperator Fridericus 2. *Auth. Navig. C. de furt.* has consuetudines pravas sustulit, quem secutus Imperator Carolus 5. *in const. crim. art. 218.* adeò ut contra eos, qui ita naufragium passos spoliant, mandata sine clausula in Camera Imperiali decernantur. Gail. *l. O. 18. n. 6.* De Regalibus minoribus sive jure fisci, veluti Armandiis, Viis publicis, portu, Ripatica, jure multandi, & bonorum vacantium apprehendendorum, bonis indignis ablati, incestum committentis, damnatorum & proscriptorum, committentium crimen læsæ Majestatis,

G

anga-

angariis & parangariis, extraordinaria collatione ad Regalis numinis expeditionem, Argentariis, Palatiis, Piscationum reditu, Salinarum vectigali, thesauro, tractat D. Otth. *de j. p. f.* 288. usq; 309. D. Arum. *de j. p. vol.* 1. *disc.* 30. *th.* 42. & *seqq. f.* 294. & c. It. *vol.* 3. *disc.* 15. *c.* 3. *th.* 44. & *seqq. f.* 583. & c. Ex haftenus igitur dictis luculenter constat, Imperatorem cum Statibus Imperii Christianum corpus constituere, cujus Imperator est caput, reliqui Status membra, quæ nisi pro putridis haberi velint, semper Capitis salutem & incolumitatem promoveant, imò sibi met ipsis succurrant, ut unanimiter contra omnes affectus subsistere possint, juxta admonitionem D. Arum. *de j. p. vol.* 3. *disc.* 12. §. 29. *f.* 365. Tu autem, ô benignissime DEUS, precibus nostris placatus calamitates publicas clementer mitiga, pericula cervicibus nostris imminencia averte, Sacram Cæsaream Majestatem in via justitiæ & pacis dirige, verbi tui depositum inter nos conserva, & quæ ad hanc atque futuram vitam necessaria sunt, benignissimè concede.



AP.



# APPENDIX

continens

## Historiam Juris Publici.

**S**icut Jus privatum principaliter respicit utilitatem privatam, secundario verò publicam: Ita jus publicum primario tendit ad utilitatem publicam, per consequentiam verò ad utilitatē privatam. §.ult. 7. de j. & j. ibique D. Locam. lit. c. D. Obrecht. tr. jur. c. 7. n. 13. c. 8. n. 1. Juris publici igitur cognitio minimè Studiosos Juris effugere debet, sed cū privato studio ob summam necessitatem & utilitatem est conjungenda. Warem. ab Erenb. de fæd. l. 1. c. 1. n. 126. D. P. Heig. l. 1. q. 11. n. 1. D. Arum. de j. p. vol. 2. disc. 12. c. 1. & 2. disc. 34. f. 1017. It. ad Aur. Bull. disc. 1. th. 1. D. B. Carpz. in semicent. quest. illustr. ad A. B. q. 1. disp. feud 1. D. Schnobel. disp. 1. ad Pandect. n. 5. D. Sprenger. in fragm. jur. publ. c. 1. pr. Distinguitur autem jus publicum à Politica, quod hæc inquirat in rationem, illud in leges publicas sibi præscriptas: politica generalis est, jus publicū juxta diversas nationes diversas induit naturas. D. Sprenger. in fragm. j. p. c. 1. f. 144. pr. hoc in passu, dicitur illud, quod auctoritate Imperatorū, consensu unanimi Electorum & Statuum Imperii Romano-Germanici, (ibi autem nostra

Roma est, ubi Imperator *arg. e. 24. d. 93.* unde sedes Imperii, licet antiquitus fuerit Constantinopolin translata, Romani tamen regni nomen non amisit: duplex constituitur Roma, una nova, altera antiqua *per l. fin. C. in quib. caus. pign. &c.*) in Comitibus Universalibus **auf einem allgemeinen Reichs-Tag** est constitutum: dantur etiam particularia, ut est dies deputationis, **ein Deputation-Tag** / A. C. 1555. decreto Augustano introductus, in quo tractantur ea, quæ in Comitibus ob temporis angustiam intermissa: deinde est dies Visitationis, **ein Visitation- und Revision-Tag** / ad iudices idoneos constituendos in causis Revisionum petitarum ad tollendas Camerae Imperialis corruptelas, & ad Statuum querelas finiendas. *Ord. Cam. p. 1. t. 50.* Tandem est dies Collegialis, **ein Collegial-Tag** / quando soli Electores vel de eligendo Rege Romanorum, & dicitur **ein Wahl-Tag** / vel alia ad conservationem Reipublicæ deliberanda re, qui dicitur **ein Schur-Fürsten-Tag** / conveniunt. *Restaur. Castald. de Imp. q. 8. n. 21 Buxtorff. ad A. B. concl. 95 lit. b. Paurmeist. l. 2. de jurisdic. c. 2. n. 8. Arnis. de jur. Majest. l. 2. c. 2. n. 3. c. 4. in fin. P. Heig. p. 1. q. 4. n. 44. & 45. Colleg. Jur. Giesl. disp. 5. n. 10. 11.* Ex certis locis ac Regionibus Imperii sunt conventus Circulorum, **die Kreis-Tage** / qui etiam distinguuntur in universales & particulares. *Bertram. de Comit. th. 15.* Rex autem Romanorum dicitur ille, qui futurus Imperator designatus, & talis vivo quoque Imperatore, urgente Imperii necessitate, dum est interregnum, vel Imperator

rator

rator ob ingruentem senectutem, aut alia impedimen-  
 ta Imperio præesse nequit, eligi potest. *c. 1. in med. dist.*  
 23. Goldast. *tom. 1. const. Imp.* Matth. Stephan. *de juris-*  
*dict. imp. Rom. l. 2. p. 1. c. 2. n. 75.* Heig. *p. 1. q. 6.* Buxdorff.  
*ad A. B. t. 2. concl. 12.* D. Arum. *lb. disc. 2. th. 13. in fin.*  
*Et disc. Acad. 4.* D. Reinkingk. *l. 1. de reg. sec. Et Eccles.*  
*class. 3. c. 14. n. 17. Et seqq.* Reinh. König. *in theatr. publ.*  
*p. 1. c. 24.* D. B. Carpz. *ad A. B. semic. disp. feud. 2. q. 3.*  
 qui tamen non aliam, quam mandatam habet juris-  
 dictionem. Coler. *de jur. Imp. germ. sect. 9.* D. Befold.  
*lb. q. 13.* D. Arum. *de j. p. vol. 3. disc. 15. th. 105. f. 648. Et*  
*seq.* D. B. Carpz. *d. l. disp. 3. q. 2. n. 12. Et 13.* D. Hahn.  
*ad Wesenb. w. de j. Et j. n. 14. vers. quod ad sacra. Et c.*  
 Dissentiunt Reinkingk. *d. l. n. 40. Et seqq.* Colleg. Jur.  
 Publ. Gieß. *d. l. n. 21.* Limn. *l. 2. de jur. publ. c. 15. n. 40.*  
 D. Schönborn. *l. 5. pol. c. 19.* Matth. Steph. *d. l. c. 1. n. 53.*  
*Et seqq.* Thom. Michaël. *de jurisd. concl. 29.* König.  
*d. l. p. 5. c. 24. n. 9. Et seqq.* Ita vivente Carolo 4. ejus fi-  
 lius Wenceslaus, Maximilianò primò, Fridericus terti-  
 us, Carolò quintò ejus frater Ferdinandus primus; Ita  
 Maximilianus 2. & Rudolphus 2. viventibus eorum  
 parentibus Imperatoribus, in Reges Romanorum eli-  
 gebantur, imò in recenti est memoria vivò adhuc Im-  
 peratore Ferdinando 3. durantibus adhuc Comitibus Ra-  
 tisponensibus A. C. 1653. Ferdinandum 4. electum & d.  
 18. Jun. Augustæ Vindelicorum coronatum fuisse, qui  
 verò d. 9. Jul. anni sequentis 1654. Viennæ vitam cum  
 morte inopinata commutavit.



I. **J**uris autem publici optima pars est Aurea Bulla Caroli 4. Imperatoris. A. C. 1356. ita dicta, vel ex eo, quod eidem sigillum Imperatoris aureum, quod bullam nuncupamus, adhæreat, sicut enim bulla in Pontificum sanctionibus plumbea, *l. 1. sacr. car. Eccles. Rom. c. 2. in fin.* Limn. *de j. p. lib. 1. c. 11. n. 36.* Ita Imperatoris aurea fuit, i. e. sigillo aureo corroborata, per metonymiam signi pro re signata, unde hæc sanctio Aurea Bulla fuit nominata. Cuspin. *in vit. Car. 4.* Goldast. *tom. 1. Const. Imp. fol. 166.* Buxtorff. *ad Aur. Bull. concl. 1.* D. Arum. *Ib. disc. 1. th. 4.* Matth. Stephan. *de jurisd. Imp. Rom. l. 2. p. 1. c. 5. n. 23.* Heig. *p. 1. q. 4. n. 11.* bullare itaque nihil aliud est, quam sigillare: hacque ipsa de causa Doctores Bullati appellantur, qui literis Bullatis sine Academico examine & disputatione Inaugurali à Comite Palatino, cui ex speciali privilegio competit jus creandi Doctores Bullatos, Notarios publicos, non tamen immatriculatos, qui à sola Camera Imperiali Spirensi creantur, & legitimandi spurios, gradum adepti sunt. Vid. D. Arum. *ad A. B. disc. 5. circ. fin.* Vel Aurea Bulla ita dicitur, quod res & constitutiones aureas in se contineat: Vid. Freher. *in not. ad Petr. de Andl. de Imp. Rom. 4.* D. Arum. *de jur. publ. vol. 1. disc. 33. c. 1. th. 5. lit. a.* & quia est unicum illud & adamantinum vinculum, quò qualescunque hæ Imperii Romani reliquiæ, illique ferreo lutei pedes à dissolutione & ruina conservantur. Marq. Freher. *in 2. Orat. de prop. gubern. Frid. 4. f. 52.* ideòque meritò pro pragmatica san-

sanctione, & lege fundamentali habetur. P. Greg. Tholos. l. 7. de Republ. c. 19. P. Heig. p. 1. q. 5. n. 1. & seq. Althus. c. 15. pol. D. B. Carpz. *semic. quæst. Illustr. disp. feud.* 2. q. 2. n. 1. in aliis regnis non solum variant jura privata, sed & publica, in Gallia habent suam legem Salicam, ut & Codicem Henrici 4. in Anglia suum jus Normannicum à Guilielmo conquæstore compositum, Dani gloriantur suo jure Waldemariano à Rege Daniæ Waldemaro compilatum. D. Spreng. *d. l. f.* 145. & 146. Hæc Aurea Bulla, quæ in titulos 26. dividitur, & inprimis Electorum privilegia complectitur, non semper quid novi constituit, sed sæpius id, quod ab antiquo observatum fuit, declarat. Videatur Nobiliss. D. Volckm. Bechmannus *in disput. ad Aur. Bull. publicè habitis.* ubi autem primum fit promulgata, variant Auctores, quidam enim Noribergæ promulgationem factam esse asserunt, veluti P. Heig. l. 1. q. 4. n. 10. Cothman. *cons.* 44. n. 11. Thuan. l. 2. *histor.* Alii verò Metis, ut Peucer. l. 5. *Chron. in Car.* 4. D. Arum. *d. disc.* 1. ad A. B. *th.* 9.

II. Capitulationes Imperatorum, quæ à certis Capitibus atque conditionibus, quibus Rex Romanorum in Imperatorem promovendus, astringitur, ita dicuntur. Hortled. *in com. ad L. Reg. & disc. Acad.* 26. *th.* 6. D. Arum. *d. l. lit. b.* nihil igitur aliud est Capitulatio, quam Lex Regia, sive Imperii, quæ Electores summum Imperium, vel (ut Arcadius Jurisconsultus loqui-

loquitur) quâ Regimina populi in Imperatorem designatum transferunt certis conditionibus; nam hæc Capitulatio exigit inter alia requisita, quæ D. Dan. Otth. *de jur. publ. c. 12. f. 315. 316. 317.* recenset, ne Imperator, qui appellatur Augustus ab augendo Imperio *per N. II. pr. & N. 30. B. Carpz. d. diss. feud. 3. pos. 5.* unde & nomen meruit semper Augusti, *allezeit Mehrer des Reichs / Otth. d. l. c. II. f. 257. pr.* facultates Imperii distrahat, vel oppignoret, nec aliò quovis modò faciat deteriores, Vid. Schleidan. *l. I. de Stat. Relig. f. 28. & seqq.* Non tamen ejusmodi Capitulatio infringit Majestatem Imperatoris, siquidem in toto orbe Christiano nullus Rex vel Princeps est, cujus Majestatem & Auctoritatem non comprimat & circumcidat vel jusjurandum, vel inita cum Regni Ordine, aut Principatus Proceribus, certa pactio. Arum. *de jur. publ. vol. 2. disc. 10. th. 19. lit. e.* Nam de antiquissimis Germanorum Regibus sic scribens Tacitus *de mor. germ. c. 7. n. 1.* nec Regibus, inquit, infinita aut libera potestas: quid igitur obstat, licet Imperatorum quoque potestas, duobus veluti frenis sistatur, Capitulatione & juramento fidelitatis juxta D. Arum. *de j. p. vol. 1. disc. 26. n. 4. & seqq.* De origine verò Capitulationum Interpretes certant: nonnulli existimant, eam primùm natam sub turbulento Henrici IV. Imperatoris regno, tractu verò temporis magis magisque auctam, crescente præsertim, sub Carolo IV. Imperatore, dignitate Electoria, donec in eam, quæ hodie in usu est, amplitudinem



excreverit. Hordled. *d.l. th. 7.* Arum. *d. l. n. 7.* Dissen-  
tit autem Colerus *de jur. Imp. Germ. concl. 33.* Capitula-  
tiones verò non esse Leges, sed conventiones ostendit  
D. Strauch. *disert. jur. publ. 4. th. 27. f. 118. & seq.*

III. Ordinationes Camerae Imperialis, die *Keyserliche  
Gammer = Gerichts = Ordnung* / quæ dividuntur  
in tres partes, quarum (1) continet titulos 86. (2) titu-  
los 36. (3) titulos 54. Est verò Camera Imperialis sum-  
mum in Imperio Romano tribunal, quò apud Impe-  
rii Judices sive Assessores legitima rei controversæ in-  
ter litigantes tractatio instituitur. Schönborn. *l. 5. pol.  
c. 20. pr.* nec ab eo provocare vel appellare licet, *Ord.  
Cam. part. 1. tit. 3. part. 2. tit. 35. part. 3. tit. 51.* sed Revisio  
certò respectu locum habet. *d. Ord. part. 3. tit. 58.* Hoc  
judicium Camerale institutum est à Rege Romano-  
rum Maximiliano primo, communi Statuum consen-  
su A. C. 1495. ultimò Octobri, & ad diem tertium No-  
vembris prima Audientia Judicialis Francofurti ad  
Moenum, ut testatur Gail. *l. 2. de pac. publ. c. 1. n. 28.*  
Rodinger. *in proc. Cam. l. 1. t. 2. §. 2.* juxta alios verò  
Wormatiæ, Otth. *d. l. c. 11. f. 241.* celebrata est: postea  
verò ob prægnantes causas Spiram Nemetum hoc ju-  
dicium translatum fuit. Sciendum verò hîc est, Im-  
perii Prætorium aliàs esse triplex. (a) Aulicum Viennæ,  
*Das Keyserliche Hoff = Gericht zu Wien.* quod cum Ca-  
merali concurrentem jurisdictionem ratione præven-  
tionis habet. *Ord. Cam. part. 2. tit. 9. §. 2.* Gail. *1. Obs. 29.*

H

n. 3. &amp;

*n. 3. & obs. 131. n. 3. Mynsing. resp. 24. dec. 3. n. 20. & resp. 94. n. 5. dec. 10. Schrad. de feud. part. 10. sect. 2. n. 66. & seqq. Borch. de feud. c. 10. n. 3. Schvvanmann. pract. Obs. 4. n. 1. & c. Paurmeist. l. 2. de jurisdict. c. 2. n. 56. Hartm, Hartman. Obs. feud. 43. Vultej. l. 2. de feud. c. 2. n. 9 Gylman. symphor. supplic. Camer. tom. 3. decis. lit. c. n. 1. tom. 4. p. 1. not. 3. n. 1. tom. 6. c. 8. Matth. Stephan. de jurisdict. l. 2. p. 1. c. 3. membr. 2. Arum. disc. Acad. 10. Ludvv. in synops. feud. c. fin. f. 500. fitque, ut & hoc, ex utriusque Religionis Evangelicæ & pontificiæ Assessoribus constitutum. Arum. de jur. publ. vol. 1. disc. 13. q. 19. f. III. (β) Spirensē, de quo antea dictum fuit. (3) Rotvvilense, **Das Kaysersliche Hoff- Gericht zu Rothweil** / à quo datur appellatio ad Aulam Imperatoris, vel Cameram Imperialem, quia saltem est Imperii Dicasterium particulare, in quatuor Circulis, Franconicis, Suevicis, Rhenanis, Austriacis, iisque non totis, fundatum, & à solo Conrado IV. Sueviæ Duce A. C. 1147. Lothariò Saxone pro Rege Romanorum creatò, institutum. Paurmeist. d. l. c. 6. n. 12. Schönborn. d. l. c. 21. Otth. d. l. f. 248. & 249. pr. Arum. d. l. q. 8. Erat olim & aliud Judicium, quod Regimentum **des heiligen Reichs Regiment** dicebatur, introductum A. C. 1501. à prædicto Maximiliano primo consentientibus Statibus Imperii; constabat autem præter Imperatorem vel ejus legatum viginti personis ex ordinibus, qui essent locò universi Senatùs Imperialis, concurrebat in omnibus cum reliquis tribus Judicis, inprimis verò*

de

de pace, bello, ac omnibus aliis negotiis ad summam Imperii pertinentibus, deliberandi & statuendi potestate instructum erat: postea mutatum à Carolo V. Imperatore Wormatiæ A. C. 1521. & decretò Noribergensi *eiusd. an.* atque decretò Spirensi A. C. 1529. tandem planè in desuetudinem abiit. Paurmeist. *d. l. n. 49.* Otth. *d. l. f. 249.* Porrò, Camerae Imperialis iurisdictionis est ordinaria *juxta Ord. Cam. part. 2. t. 27.* Myns. *resp. 24. n. 2. Et seq.* Gail. *l. O. 41. n. 5.* Schönborn. *l. 5. pol. c. 20. f. 526. pr.* & universalis, sed tamen cum distinctione; siquidem in simplicis querelæ causis tantum contra Immediate Imperio subjectos locum habet, *Ord. Cam. part. 2. tit. 27.* nisi (1) muniti sint privilegio de non appellando, veluti illud Electores & Duces Saxoniae, ut & Electores Brandenburgiae in viridi observantia habent. Knich. *verb. jus. c. 2. n. 32.* Heig. *part. 1. quest. 4. n. 31. 33. 42.* Sixtin. *de Regal. l. 1. c. 5. n. 5.* Coler. *in Orat. de jur. Saxon.* Albin. *histor. Misn. p. 1. t. 16.* Limn. *de jur. publ. l. 3. c. 9. n. 70.* Omnibus quidem Electoribus hoc privilegium promiscuè concessum *in Aur. Bull. tit. 11.* reliqui tamen contrariò usu perdiderunt. Schurff. *cons. 29, cent. 3. n. 1.* Ita autem hoc indultum subditis prædictorum Electorum obstat, ut ne quidem super nullitate processus Aulam Imperatoris, vel Cameram Imperialem implorare queant, prout dilucidè probat B. Carpz. *d. disp. feud. 6. semicent. quest. 2. n. 16. usq. 27.* neque eidem privilegio de non appellando renunciare valeant. *Ib. q. 3. (2)* nisi in pri-

ma instantia Jus Austregarum, der Austräge / habe-  
 ant, sive se invicem conveniant, sive ab aliis conve-  
 niantur. *Ord. Cam. part. 2. t. 2. § seqq.* Gilhaus. *part.*  
*1. arb. jud. c. 1. §. 8.* Matth. Stephan. *l. 2. de jurisdict. c. 3.*  
*membr. 3. n. 10. § seqq.* Vid. Georg. Shubhard. *tract.*  
*method. de Austreg.* non tamen locum habet in causa  
 denegatae justitiae. *d. Ord. p. 2. t. 1. in fin. § 26. pr.* ne-  
 que Cæsareæ jurisdictioni præjudicat. Paurmeist. *l. 2.*  
*de jurisd. c. 4. n. 132. § seqq.* hoc tamen privilegium  
 competere tam quoad Aulam Cæsaream, quam quo-  
 ad Cameram Imperialem statuit Colleg. Gieß. *de jur.*  
*publ. disp. 4. n. 17.* In causis verò Appellationum Ca-  
 mera Imperialis etiam Mediatos comprehendit. *d.*  
*Ord. p. 2. tit. 28. 29. 30.* si summa est appellabilis, & 300.  
 florenos excedit *per Recept. Deput. A. C. 1600.* Matth.  
 Stephan. *d. l. 1. c. 31.* Limn. *d. l. 9. c. 2. n. 264.* Ratione  
 causarum quarundam Camerae jurisdictio nulla est,  
 ut (a) in Ecclesiasticis & matrimonialibus, *Ord. Cam*  
*p. 1. t. 1. Mynsing. conf. 43. n. 34.* Gail. *1. Obs. 112. in fin.* (b)  
 in feudis regalibus, die *Sahn = Lehen* / quorum investi-  
 turæ per insigne vexilli conferri solent, Item die *Scep-  
 ter = Lehen* / de quibus Principes Ecclesiastici cum sce-  
 ptro investiuntur. Schneidevv. *tr. de feud. part. 1. n.*  
*30.* horum cognitio & collatio ad solum Imperato-  
 rem ob supremam eminentiam. *1. F. 18. 2. F. 10. § 34.*  
*Aur. Bull. tit. 5. Ord. Camer. p. 2. t. 7. Regiments = Ordn.*  
*de An. 1521. §. 10. ob auch solchen Fürstenthumb. § c. Recept.*  
*Imp. de A. C. 1466. § 1596.* Gail. *l. 1. Obs. 1. n. 11.* Mozz.  
*de*

*de divis. feud. n. 42. Menoch. cons. 32. n. 9. Paris. cons. 23. n. 17. vol. 1. Zas. de feud. part. 5. n. 1. part. II. n. 6 Rosenth. de feud. c. 12. concl. 1. n. 30. Duar. c. 20. n. 5. Sonsbec. part. 14. n. 19. Obrecht. disp. feud. 2. th. 70. § 71. D. Vultej. l. 1. de feud. c. 8. D. Schönborn. l. 5. pol. c. 14. D. Ant. Gothofr. disp. feud. ult. th. 1. lit. b. D. Otth. d. l. c. II. f. 255. D. B. Carpz. synops. feud. disp. fin. pos. 39. D. Ludvv. d. c. fin. f. 500. pr. D. Struv. ex. fin. feud. th. 5. non ad Pontificem Romanum pertinet, prout politè ostendit Brut. Fulm. sub tit. crim. Maj. Vasq. I. illustr. q. 22. n. 1. 2. 3. Schrad. sect. 1. de F. n. 55. § sect. 3. n. 172. (γ) in criminalibus. Mynsing. cent. 4. obs. 41. § 42. Gail. I. O. I. n. 27. Wurmbs. tit. 24. obs. 18. Casp. Leipold. disc. Acad. 13. q. 7. Phil. Tennagel. de decern. process. class. 4. c. 9. n. 1. Dissentit Mindanus, l. 1. c. 9. de process. extrah. Alia est ratio in quæstione usurarum. Rec. Imp. de An. 1509. 39. § 48. de contr. usurar. absolutionis iuramenti ad effectum agendi. Ord. Cam. part. 2. t. 24. fractæ pacis. Mynsing. 2. Obs. 98. n. 8. § 5. Obs. 52. Nullitatis. Vid. Ofinger. in Pandect. Camer. Mindan. & Tennag. de decern. process. Denais. de jur. Cam. siue noviss. jur. Cam. D. Sprenger. de jur. Cam. reform. Instrument. Pac. de A. C. 1648. § Recept. Imp. de An. 1654. confirm.*

IV. **C**ONSTITUTIONES criminales Imperatoris Caroli quinti, die Peinsiche Hals-Gerichts-Ordnung de A. C. 1530. & 32. Augustæ Vindellicorum, & Ratisbonæ factæ, quæ 110. articulos continent. Vid. B. Carpz. pro-

*cess. crimin.* P. Theodorici *crimin colleg.* Struv. *disbert. crimin.* Matth. Stephan. *comment. ad art. crim.* Volkm. *Noriat Buch von Peinl. process. &c.* Hæ Constitutiones criminales ut intra fines Romani Imperii passim observentur exactius, optandum esset cum Mynsing. *ad pr. J. de Publ. jud. n. 7.*

**V. Recessus Imperii, Reichs-Abschied** / qui sunt communes Imperatorum & Statuum sponsones ad ipsam administrationem spectantes. Bort. *de jurispr. publ. c. 1. tb. 5. lit. c.* Huc pertinent Constitutiones Politicæ, Pax Publica & Religiosa de A. C. 1552. & 55. Instrumentum Pacis Cæsareo-Suecicum & Gallicum de A. C. 1648. in Munster & Osnabrugg tam mille piorum suspiriis & lacrymis impetratum: Recessus ultimus de A. C. 1654. De Legibus fundamentalibus Vid. Lambert. *Danae. l. 3. Christ. pol. c. 6.* Althus. *c. 6. pol.* Keckerm. *l. 1. syst. pol.* Bornit. *pol. c. 6. & de fund. Stat. Reipubl. c. 9.* Antimachiavell. *l. 1. de regn. aut quov. Princ.* &c. *theor. 1.*

**FINIS.**

**SOLI DEO GLORIA.**



rt.  
n.  
nes  
b-  
ad

n-  
ad  
rr.  
li-  
n-  
de  
o-  
ti-  
id.

n  
m  
b  
h  
d  
r  
v  
t  
n



AK TA 1544

REINHOLD  
GELDE  
von





B. N. II, 135.  
In 35, II.

MONI

DISSER

IMP

RE

RE

Hif

DAN

Jenæ,

AN

II k  
1544

EUM

PUBLICI

RIS

IS

S,

U. D.

876039

ianis,

